BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
32 C
33
22 -
22 -

STEP   I

# THEVPOLI

BENED. F. PATRIC.

VENETI,

*Academicarum Contemplationum*

LIB. X.

227

In quibus PLATO explicatur, & PERIPATETICI refelluntur.

CIↃ IↃ XC.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

12. 32 C. 33

VIRO CLARISSIMO, SENATORI AMPLISSIMO, AC EQVITI SPLENDIdiſsimo, Paulo Theupolo, patruo, ac alteri parenti,

*STEPHANVS THEVPOLVS, S. P. D.*

NOMINVM ſcientiam, admirabilẽ quandam eſſe ſapientiam; & in nominibus eximiam latere virtutem, tam miro conſenſu viri in omni doctrina Principes exiſtimarunt; vt Priſcæ illæ nationes, Aegyptij, Hebræi, Græci, de recta nominum inſtitutione mirum in modum fuerint ſollicitæ: & ea nec nomina quidem eſſe cenſuerint; quæ rerum naturam, quibus impoſita eſſent, apta ſignificatione nõ

æmularentur, & quaſi exæquarent. A Græcis patrui dicti ſunt θεῖοι, hoc eſt, diuini: eamque vocem adeò commendarunt Etruſci, ac Itali ferè omnes; vt eandem, quanuis aliunde acceptam, & peregrinam, in proprium vſum familiariſsimè conuerterint; & vſque ad noſtra tēpora, vt dignam æternitate, conſeruauerint. Eius nominis hanc eſſe conuenientem rationem conſtat; vt moneantur nepotes, ſe interna quadā naturæ lege diuinitus animis noſtris inſerta teneri, patruos ſuos, vt rem diuinam colere, & venerari. Nec equidē iniuria: nam patrui ſunt, veluti geminatio quædam paternæ imaginis: eiuſque virtutis, quæ in progenitoribus effulget, amplificatio, ac exemplar familiare, & conſpicuum rectæ nepotum inſtitutionis, à quo in eos admirabiles quidā virtutis radij, & afflatus ſalutares emanant. Cùm verò omnes rectè inſtituti nepotes id efficere teneantur; ego tamen præſertim me tibi deuinctum eſſe ſentio: cùm tu mihi, nedum ſis patruus; verùm inſuper patruus maximè

præcla-

præclarus; vniuerſæ noſtræ familiæ decus,& ornamentum; patruus meorum ſtudiorum conſultor, & fautor; ac demum inſtitutionis meæ exemplar ita ſplendidum, vt ſplendidius exoptare non valeam. Vtinam mihi tãtum eſſet virium,vt re ipſa me aliquando tali patruo nepotem non indignum præſtare poſſem. Quod tamen ad me pertinet; omni ſtudio, cura, ac diligẽtia operam dabo; vt alis ingenij mei, qualeſcũque illæ ſint,à terra ſublatus, tuos greſſus eminus obſeruare; teque, vt optimum itineris ducem, longè inſequi poſſim. Cùm itaque,& naturæ lege,& propenſa animi mei voluntate,ad te colẽdum, & ſuſpiciendum trahar; eodem iure, me tibi ſtudiorum quoque meorum debere rationẽ reddere perſentio. Pro quo obeũdo munere, tempus oportunius nec exoptare quidem valuiſſem. Cùm enim tu permultis legationibus apud varios Principes pro R.P. fœliciſſimè perfunctus, nuper in eodem munere apud Pontif. Maxim. ſumma cum omnium admiratione præclariſsimè

te geſſeris: vbi ad nos reuerſus es; animaduerti te ab ampliſſimis Senatoribus,& à cunctis ciuitatis ordinibus, comiter appellari, ſalutari, & amplecti. Quare ego, qui maximè omnium, lætitia perfuſus ſum; maximè quoque omnium, conſpicuum aliquod inſignis congratulationis ſignum edere debeo,cumque aliud illuſtrius proferre non valeam; hos Academicarum Contemplationũ libros promere, tibique dicare conſtitui; vt vnà cum eis te ſalutans,& ſtudiorum meorum tibi rationem reddens, congratulationem meam inſigniorem patefacerem; ac eorum quaſi habitu indutus, me tibi gratiorem offerrem. Spero autẽ, multis de cauſſis eos tibi futuros non ingratos: tum, quia ſunt fœtus eius animi, qui tuus eſt: tum præterea, quia ſunt fructus ex Academicorum campis decerpti; quos ſemper tibi viſos fuiſſe dulciſſimos,animo nobili apprimè ſalutares, viriſq; ciuilibus mirum in modum accommodatos, frequenter verbis, & exemplis non vulgaribus

oſten-

oſtendiſti:tum demum; quia ſunt formati,non ſine conſilio, & auxilio virorum in vtraque diſciplina, & Platonis, & Ariſtotelis illuſtrium; Thomæ Peregrini,& Frãciſci Piccolominei; quorum non ſolùm publicis lectionibus, verùm domeſticis quoque ſermonibus familiariſſimè vſus ſum; quibus etiam nihil antiquius eſſe perſpexi, quàm,vt inſignem eorum in te obſeruantiam aliqua ratione patefacerent. Hilaris itaque, vt præcipuus parens, hos animi mei fœtus excipito: ea tamen conditione; vt eos, tanquam rudes adhuc, & informes, te recipere putes: verùm fortaſſe eiuſmodi, qui ſi de ſapientiæ tuę radiis vitæ aliquid, & ſpiritus exhauſerint; mox aptè conformari,& ad ſummum perfici, facillimè poſſint.

Vale.

## ANTONII QVÆRENGI.

*ILla diu Graias olim celebrata per vrbes,*
*Cælicolum quæ afflata Deûm felicibus auris*
*Surgebat lætis Platanus denſiſſima ramis;*
*Cuius odoratis dulcem ſub frondibus vmbram*
*Illuſtres animæ ingreſſæ melioribus annis*
*Ingenuas docti ſuderunt pectoris artes;*
*Et cæli docuere viam, qua vecta per auras*
*Præpetibus pennis mens ardua fertur ad aſtra:*
*Poſtquam longa dies cæcis obducta tenebris,*
*Immenſo monimenta virûm conſumpſerat æuo,*
*Ignota tellure procul contempta manebat*
*Fæda ſitu informi, & ſquallentibus abdita dumis.*
*Cum iuuenis claro Adriaca de ſanguine gentis*
THEVPOLVS, *antiquos plantæ fœlicis honores*
*Diuino tacitus ſecum ſub pectore voluens,*
*Cecropias inter flexit veſtigia ſyluas;*
*Perſpicuo qua fonte cadens placidiſſimus amnis*
*Effluit, & blando fugientis murmure lympha*
*Nunc quoque cœleſtes Phædri teſtatur amores.*
*Hic nemoris denſi latitantem horrentibus vmbris*

*Sylueſtrem*

*Sylueſtrem Platanum ſtudio, cultuq́ recentiq;*
*Rurſus in antiquum formæ tranſire decorem,*
*Et ramis docuit felicibus ire per auras,*
*Optatam æterna referens è fronde coronam.*
SALVE *magna Ducum ſoboles, cui nomen auitum,*
*Gloria cui longos generis deducta per annos*
*Ingentem peperit laudem; ſed clarior effert*
*Inſignis dulci ſapientia parta labore:*
*Te vaga longinquas terrarum fama per oras*
*Nilum vltra, Tanaimq́ feret: tibi patria laudes*
*Perſoluet, meritosq́ olim decernet honores,*
*Et tua manſuris inſcribet nomina faſtis.*

## PAVLI AICARDI
### Epigramma.

QVòd tam præclarè diui præcepta Platonis
Illuſtras, cæcas diſcutiens tenebras:
Quas tibi condignas gratcis Academica ſecta,
Theupole, pro tantę munere perſoluat?
Vix tuus id poſſit dux præſtare aurea fundens
Flumina, ab Elyſio ſi redeat nemore.
Nos equidem te mirantes, tollemus ad aſtra
Vſque tuum veris laudibus ingenium:
Tam breuibus potuit quod tanta includere chartis,
Secula victuris innumerabilia.

## ALOYSII LOLINI
### Patricij Veneti.

Θεία πότ᾽ ἐκ καλύκων ῥοδέων πόλις, ἐκ δ᾽ ὑακίνθων
Πλέξασα πορφυρέων ἡδύπνοον στέφανον,
Ἀμβροσίῃ ἔστεψε κόμην, ἐκ δ᾽ οὔνομα κόσμῳ
Δῶκ᾽ ἀρετῆς πάσης Θευπόλιον Στέφανον.

# STEPHANI THEVPOLI BENED. F. PATR. VENETI,

## ACADEMICARVM CONTEMPLAtionum Liber I.

## DE DEO.

### Cap. I. *Quod eſt operis Proœmium.*

DVo humanæ ſapientiæ lumina, iam diu adeò refulſerunt, Plato & Ariſt. vt cætera ferè omnia delituerint; ea verò indies maiora, ſplendidioraque reddita ſint: & propterea ſperandum eſt, eadem in poſterum quoque diu fore illuſtria conſeruãda. Ac ſanè nemo vnquam extitit, niſi quis fortaſſe mentis acie penitus deſtitutus, qui in ea conuerſus, non ſummopere illa commendauerit, ac admiratus ſit. Neque verò iniuria. Nam Plato, & Ariſt. præter id, quòd eximio valuerunt ingenio, etiam accurato labore, & auxilio ſummorum Principum, cæterorum ſapientum inuenta in vſum proprium cõuerterunt; eaque vel auxerunt, vel illuſtrarũt, vel ordinarũt;

adeò, vt qui eos ſectatur, non duos ſolos homines ſibi duces ſtatuat: ſed vniuerſam Barbarorum, & Græcorum priſcam ſapientiam, ac vnà illuſtrium omnium ingeniorum, quotquot poſt eos floruerunt, conſenſum, & approbationem. Inter eos verò, qui per Regiam hanc ſapientiæ viam progreſsi ſunt, hæc apparuit conſpicua diuerſitas; quòd nonnulli ſtudio vel Platonis, vel Ariſt. vehemẽter delectati, alterum penitus neglexerunt. alij vtrunque admirati, induci non potuerunt, vt crederent eos re vera eſſe diſcordes; & præſertim, quia ex veteri Platonis Academia, tanquam ex fonte, Peripatetica ſapientia defluxit; cùm Plato Ariſtotelem, plurimos annos inſtruxerit, ac erudierit; proptereà de eorum concilio ſummoperè fuerunt ſolliciti. Hos ego nunquam omni ex parte potui commendare: non primos; quoniam qui alterum eorum deſpicit, ſponte ſe vno orbare oculo videtur, ex quo in alterum plurimum virtutis manat. Præclari enim ſpiritus, ex Academia in Lyceum, & ex Lyceo in Academiam diffunduntur: adeò vt qui ad vnum eorum ſibi viam præcludit, nec alterius munere valeat cumulatè perfungi. longè etiam minùs eos commendandos duxi, qui pro Concilio laborarunt. Hi nanque, dum ſententias varias ex diſtinctis initiis ortas in vnam redigere tentant; modò vnam, modò alteram, & frequenter vtranque, nõ ſine pernicioſa confuſione peruertere coguntur: quod Sim-

Simplicio, & aliis frequenter contigiſſe, facilè eſt animaduertere. Propterea longè ſatius eſſe duxi in vtriuſque diſciplina accuratè verſari; ita tamen, vt primò ab Ariſt. methodum, ordinem, ſcientiarumq; gradus addiſcamus; mox ita parati, ad Platonis vberrimos fontes accedamus; ex eisque tantum hauriamus aquæ, vt Peripatetica diſciplina ex ſe anguſtior, reddatur latior; ac inde quoſdam, quaſi ſalutares recipiens ſpiritus, per eos reddatur viuacior, fulgeat magis, ac fœlici⁹ ad ſuperna deducat. dum verò in eorum controuerſias incidimus, accuratè vtriuſque vias, initia, & fundamenta perpendēda duxi; mox iudiciū eſſe tradendū, an lis ſit ſolùm in verbis, vt nonnunquā contingit; vel potiùs ſit in ſententia, vt re vera eſt, dum de rebus potioribus apud eos eſt diſputatio: veluti de dependentia Mundi à Deo, de Ideis, de cognitione Dei, de modo acquirendi ſcientiam, & ſimilibus: in qua quidem controuerſia dum verſamur, cogimur deinde, vel vni, vel alteri parti magis adhærere: & cùm vtrunque veneremur, ei adhęrendum maximè eſt, cum quo ratio magis videbitur conſentire. Sic ſeruandæ ſunt viæ diſtinctæ, nō autem implicandæ, & confundendæ; ſic debet conſurgere opus de placitis vtriuſque, non autem de inuito conſenſu; cùm frequenter cōſpicua ſit diſſenſio: ſic demum in conuenientem vſum conuertemus inuenta vtriuſque, & animum noſtrum cumulatè exornabimus. Non

me latet apprimè eſſe arduum, in eorum diſ-ſenſione partem potiorem eligere: dum enim inter ſe duo illa præclara ingenia pugnãt, ma-nifeſtè indicant, in re adeò obſcura verſari, vt nobis non liceat conſpicuè veritatem inſpice-re. attamen exercendum eſt ingenium, & pro facultate nitendum, vt per accuratam ſenten-tiarum diſcuſsionem ſplendor aliquis verita-tis refulgeat. Nec nos fugere debet, humanam rationẽ in rebus arduis facilè labi, & frequen-ter in deteriorem partem declinare. Propter-ea dum nitidam veritatem intueri cupimus; poſt lites Philoſophorum, animi vniuerſam aciem in Solem veritatis nobis munere fidei Diuina reuelatione patefactum, conuertere debemus: & in eo felicißimè conquieſcere. Quoniam itaque dum verſamur in attinenti-bus ad humanam ſapientiam, maximi facere debemus cùm Platonem, tum Ariſtotelem; & quoniam varij attinentia ad Ariſt. latißimè, & eruditißimè explicarunt; conſilium meum eſt de Platonis doctrina verba facere, eam pro viribus in ordinem redigere, & illuſtrare, ac ſimul cum doctrina Peripatetica eãdem com-parare; vt inde appareat mirus cõſenſus par-tium eius inter ſe, ſententiarum frequentia, & ſplendor, quàm iniuria frequenter à Peri-pateticis culpetur, quàm pios nos reddat erga Deum, & demum quàm maximè cum noſtris Thologis in multis conueniat. Magni profe-ctò ſunt mei auſus, & lõgè meis viribus impa-
res:

res: inueni tamen, qui non ambitionis ſpiritu elatus, non inani oſtentatione ductus; ſed deſiderio addiſcendi excitatus, magna aggreditur, plurima ſunt condonanda. Ita nanque ingenium exercebo; à ſapientioribus corrigi potero; & ſublimioribus ingeniis occaſionem præbebo, rem minùs maturè tentatam, & adumbratam potiùs, quàm explicatam, abſoluendi, ac perficiendi.

## *De modo cognoſcendi* DEVM.

## CAP. II.

Vetus Academia; vt olim ſublimium ingeniorum frequẽtia, miraque eorum ad ingenuas diſciplinas conſpiratione accuratè exculta, præclaros edidit fructus; ita nunc, vel ob illuſtrium ingeniorum inopiam, vel potiùs, ob eorundem prauam aſſuetudinem, lucrique cupiditatem, neglecta, inculta, ſterilisque conſpicitur; adeò, vt non ampliùs Auguſtinos, Dionyſios, Ariſtoteles, Zenocrates, Plotinos, Iamblicos, Ammonios, ſimilesque ſapientiæ ſplendores emittat. Verùm quia nos non multos, ſed paucos, eosque ſapientes ſectari tenemur; propterea vniuerſam Academiam, quaſi ſtadium decurſurus, illuſtrioresque eius ſententias è tenebris in lucem, & ex otio in puluerem pro facultate reuocaturus; Platonem principem imitabor, qui in operis cuiuſque initio Deum præcipit inuocandum. Et quoniam præcipua

omnium inuocationum eſt animi diſpoſitio; ad munerum Dei receptionem; diſponimur autem cognoſcendo; iurè ab eius inquiſitione ordiendum eſt;inquirētes enim, inueniemus; inuenientes,diligemus;& diligentes, perficiemur;ac demum ex Dei cognitione optimè iudicabimus, ex quo principio cuncta proficiſcantur; quo nexu cum eo ligentur; qua ratione ſingula ſuam ſortem, ſuamq; conditionem inde recipiant. Deus,vt omnium notiſsimus, ita omnium ignotiſsimus cenſeri debet;notiſsimus ex ſui natura,ignotiſsimus nobis; notiſsimus,quòd ſit;ignotiſsimus,quid ſit.Propterea, vt ab homine exactè cognoſci, ita nomine exactè exprimi, definitioneque explicari minimè poteſt:nomen enim,& ratio, reſpondēt eſſentiæ rei; quæ cùm maximè lateat, vt ea quoque ſint nobis obſcura, neceſſe eſt. Hinc Plato in Timæo aſſeruit, Opificem, & Patrem mundi inuenire, perarduum eſſe; inuentum autem explicari vulgò non poſſe: quæ ſententia cùm de prima mente, tū præſertim de Deo vera eſt. Et ex Parmenide colligitur, nos de Deo,neque nomen,neque definitionem, neq; ſcientiam, neque ſenſum, neque opinionem aſſequi valere. Hæc maximè conſentiunt cum ſacris literis; nā in eis legitur; Nemo vnquam vidit Deum. Et Paulus ad Timoth. Lucem inhabitat inacceſsibilem, quem nullus hominum videt, nec videre poteſt. Et Deus ad Moyſem: Nemo poterit me videre, & viuere,

Sic

Sic itaq; exactè nemo nouit Deum, niſi Deus: & iurè quidem, nã ſolus Deus æquatur Deo; homo verò in hac vitæ vmbra collocatus, adumbratè ſolùm valet coniicere pertinentia ad Deum; & id facit, progrediendo per opera eius, vnà cum ratione; ex quibus, vel per negationem, vel per analogiam eleuatur ad aliquã eius cognitionem; conferente præſertim interno quodam naturæ inſtinctu, vel potiùs diuino cõtactu. Negatio altiùs nos eleuat, quàm Analogia; ea præſertim nos deducit ad ipſum vnum; hæc ad ipſum bonum, & pulchrum. propterea eminentior de Deo dicitur ignoratio, quàm ſcientia. quòd diuina obſcurè, & cũ difficultate ab intellectu hominis cognoſcantur, eſt quid cõmune omnibus ſeparatis, qua de re, Ariſtoteles conuenit cum Platone, inquiẽs in 2. Metaph. intellectum hominis perinde ſe habere ad ea, ac oculum noctuæ ad lumen ſolis. At ex ſententia Platonis, hoc eſt proprium Dei, quòd ſit collocatus ſupra intellectum, ſupraque intelligibile: nam intelligibilia, ex Platonis opinione, ſunt Ideæ; Deus ſupra Ideas collocatur: & cùm ſit ſupra intelligibile, etiam eſt ſupra intellectum: quoniam intellectus ſupra ſe habet intelligibilia, quib. Deus antecellit. hac de re Ariſt. à Platone diſſentit, quoniam Ideas non ponit, ſed intelligibile appellat omnem ſubſtantiam ſeparatam, adeò vt Deus, ex ſententia eius, ſit primum intelligibile. Colligimus itaque cum Magno

Dionyſio, Deum eſſe Verbum, quod exprimi nequit, eſſe intelligibilis, intelligentiæ, nominiſque vacuitatem.

## *De ipſo* VNO.

## CAP. III

EX nominibus, quæ magis Deo conueniunt, ſunt ipſum vnum, ipſum bonum, ipſumque pulchrum. hoc pronomen, Ipſum, frequẽter ſignificat Ideas: at dum tribuitur Deo, non Ideas, ſed Idearũ caput, & aliquid ſupra Ideas manifeſtat. Deus dicitur & vnum, & indiuiduum, modo oppoſito, principio numeri, & puncto: nam hæc dicũtur vnum, & indiuiduum, quoniam ſunt infra minimam magnitudine, & multitudinem: Deus autem è contra, quia & magnitudini, & multitudini ſupereminet. Deus enim cùm dicatur vnũ, ſimul eſt omnia, cauſſaque eſt omnium ſine vnitatis amiſsione: & cum ſit vnum, multitudine non eget; ſed è cõtra, multitudo ſine vno conſiſtere nequit. Ex his cõſtat, quòd vnitas, numerorum initium, eſt ſimulachrum valde tenue illius eminentiſſimæ vnitatis: eatenus enim ei dicitur ſimilis; quatenus, vt docuit Pythagoras, vnitas numerorum initium, vim cõtinet, & ſemina numerorum omnium, qui in infinitum per finitos circuitus progrediuntur. Cùm Deus ipſum vnum nuncupatur, nõ propriè eius primi natura

tura affirmatur; ſed partim negatur circa ipſum multitudo, compoſitio, & conuenientia cum aliis, partim declaratur cuncta ab illo fluere, perfici, ſeruari, vnionisque munere affici; partim demum exprimitur quædam in omnibus ingenita ad illud vnum propenſio, tanquam in finem. Inſuper dicitur Deus ipſum vnum: nec propterea eſt abſurdum, vt vnitas nonnunquam à Platonicis nuncupetur: eſt enim vnitas, vnitatis omnis effectrix, vt dixit Dionyſius. Et quamuis vni multa opponantur, non propterea Deo aliquid opponitur. Et ratio eſt, quia eſt ſupra, & non infra multitudinem: cui ſi etiam multitudo aliqua ratione opponitur, profectò non vt contraria opponitur; ſed tanquam negatio, & receſſus ab eo; nam Deo nihil dicitur opponi: & hoc eſt mirabile, quòd ex eo, quia nihil ei verè opponitur, cũcta ei dicũtur modo aliquo opponi: ná ipſe eſt omnia, & propterea alia à Deo dicuntur priuationes, & negationes ab eo longiſsimè diſtátes: Cũcta recipiunt naturá, & vires à principio ſuo: & cùm vnũ ſit principium omnium, iurè cuncta eatenus valent, eatenus facultate ſunt prædita; quatenus participant vno, & vnum ſeruant: eſt enim ipſum vnum ſupra omnem humaná cogitationé in infinitum efficax, potens, ſuauiſsimeque omnia ligans. Collocatur vnum ſupra bonum, vt boni caput: propterea non vnum ducit ad bonum, ſed bonum ad vnum; & rectiùs dicitur cuncta

manare ab vno, quàm à bono; tendere ad vnũ, quàm ad bonũ: eſt tamen bonũ ratio, per quã cuncta manant ab vno, & tendunt ad vnũ. Reperitur vnũ & ſuper ens, & in ente, & ſub ente; vario tamẽ modo: nam quod eſt ſuper ens, penitus eſt vnum; nihilq́; in eo eſt, quod non ſit vnum; à quo pẽdet, quicquid eſt vnũ, ſimul atque non vnum. quod eſt in ente, iam eſt vnitate præditum, & complicatum; ita tamen, vt vnum dominetur: quod verò eſt ſub ente, in infinitum prolabitur. Quod collocatur ſuper ens, ſincerè, abſoluteque eſt vnum: quod eſt in ente, eſt potiùs vnitas, vel vnitates, quæ etiã Dij nuncupantur, quàm vnum: quod eſt ſub ente, ſolùm eſt vnio. Hoc Diuinum vnum eſt eius eminentiæ, & ſimplicitatis; vt, propriè loquendo, nec à ſe ipſo alterum, nec idem alteri, nec ſibi idem, nec ab aliis alterum, nec ſimile, nec diſsimile, vel ſibi, vel cuiquam propriè dici debeat: nam vnum antecedit identitatem, alteritatem, ſimilitudinem, & diſsimilitudinẽ; cùm id ſit abſolutum, hæc verò includant relationem. Pari ratione, nec ſibi, nec aliis æquale, vel inæquale dici debet; ſiue hęc referantur ad corpora, ſiue ad incorporea: & præſertim, quia æquale ſequitur terminum, inæquale infinitatem, quæ ipſi vno non cõueniunt. Quòd ſi in præcedentibus dictum eſt, ſolum Deum æquari Deo; id intelligi debet non de propriè ſumpta æqualitate inſequente terminum; ſed de æqualitate per negationẽ explicanda: quia

Deus

Deus Deum non excedit, qua æqualitate etiã infinitum æquatur infinito. Pari quoque ratione, neque iunius, neq; ſenius, nec coæuum, vel ſibi, vel aliis, hoc eminentiſsimum vnum cenſeri debet: immò nec dici poteſt ipſa identitas, ſed ſupra hæc omnia conſtituitur. Ariſt. in 10. Metaph. cont. 6. carpit vnà cum Pythagora Platonem, quia dixerit vnum eſſe ſubſtantiam ex ſe exiſtentem: aſſerit id dici non poſſe, quoniam ens, & vnum de omnibus prędicatur, nullum autem vniuerſalium eſt ſubſtãtia per ſe ſubſiſtés. Inquit inſuper in 4. Metaph. cont. 3. Ens & vnum denotare idem re, diſtinctum ſola ratione, & modo: At propter hæc nihil dicit, quod Platonis ſententiam euertat. Loquitur Plato de ipſo vno, quod ſupra ens collocatur; Ariſt. verò de eo verba facit, quod eſt in ente, & ſub ente: id vnũ, quod eſt ſupra ens, de iis, quæ ſunt, minimè prædicatur, ſed ſolùm eorũ dicitur eſſe principium. Dixit Auicenna ab vno non poſſe proximè, niſi vnum prouenire; ſed errat: nã quod pendet ab vno, iam recedit ab vno; nil enim à ſe pendet, quod autem recedit ab vno, eſt neceſſe, vt multitudine participet: hoc tamẽ verum eſt, quod proximè pendet ab vno, maximè eſt vnum: ideò rectè ex Philebo colligitur ab vno rerum omnium principio produci binarium; duo ſcilicet rerum Elementa, quæ ſunt terminus, & infinitum; ex quibus mox cuncta per varios gradus componuntur.



VITTORIO EMANUELE

## *De ipſo* BONO.

### CAP. IIII.

IPſi vno, eminentiſsimo, ac inſolubili nexu iunctum eſt Bonum, & Pulchrũ: quæ tria re idẽ ſunt, ſola ratione, noſtroque intelligendi modo diſtinguuntur. In quo nexu eminet Vnũ, tanquam caput omnium; mediat Bonum, ex bono Pulchrum refulget. Explicato vno ſequitur, vt de bono agamus. Pręclarum, & Illuſtre eſt ipſum bonum, cum eius ſplendore fulgeant omnia: latiſsimum eſt eius imperiũ, cũm ſuas vires effundat per omnia, ac omnia ſibi ſubiiciat: immenſa eſt vis eius, cũ omnia intimè, latenter, ác vehementiſsimè ad ſe trahat. De quo id primò conſiderandum occurrit, quod apud nonnullos ex Platonicis ipſum bonũ dupliciter vſurpatur: primò pro vniuerſo bono, quod eſt ſupra Ideas, Idearumq; eſt origo, & ab ipſo vno ſola ratione diſtinguitur: ſecundò pro Idea boni ad mentem pertinente; in qua cum Idearum multitudo inueniatur, etiam cęteras Ideas boni, & pulchri ab alijs diſtinctas inueniri. Bonũ ſimpliciter, inquiunt, eſſe authorem omnium, vt bonorum, ita pulchrorum. Bonum Ideale ſolum aſſerunt eſſe principiũ quarundã conſequentium perfectionum, munere quarum res eis participantes bonæ nuncupantur. Primum bonum non diſtinguunt à pulchro; boni vero I

rò Ideam ab Idea pulchri ſeiunctam affirmāt. Hanc ſententiam ego minimè approbandam cenſeo: primò, quia bonum eſt communis natura, & fundamentum omnium Idearum; nō autem eſt forma vna ab alijs diſtincta. Inſuper Ideæ ad mentem pertinentes ſolùm ſunt ſpecierum, non generum, Bonum verò non vna ſpeciei eſt, ſed quoddam veluti commune genus: Præterea quæcunque conueniunt Deo, ita ſe habent, vt ſint veluti fontes, & communia principia aliorum, & per omnia alia effunduntur, & propterea eorum in mente diſtincta Idea non eſt ponenda; non enim vna Idea eſt principium alterius: Et propterea colligo, vnius, boni, & pulchri, ex Platonis ſententia, in prima mente non dari Ideas diſtinctas, vt dantur aliorum, ſed hanc Trinitatem eſſe fontem, & genitricem omnium Idearum, ac Ideas omnes his participare. Ideo omnes Ideæ nuncupantur vniformes, boniformes, & pulchriformes, & iure quidem: quoniam id vnum, bonum, & pulchrum, quæ in Deo indiuiduè iuncta conſiderantur, in mēte diuina in varias quaſi formas effunduntur, & diſtribuuntur. Propterea rectè Plotinus lib. 7. ſextæ Enneadis aſſeruit, mentem ſibi comparaſſe ſpectacula boniformia, cùm primùm ipſam boni naturā contemplaretur; ac inſuper mentem conuerſam per actum vitalem ad bonum, fieri boniformem; & ob formam ſuam multiplicabilem, vnum boni donū in formas

plurimas deriuaſſe. Quòd ſi à Platone frequẽter de boni Idea ſit mentio, adeò vt videatur Ideam boni in mente diſtinctam ab aliis conſideraſſe: Aſſerendum eſt, Ideæ nomen apud Platonem ad varia extendi, & non ſemper denotare Ideas inter ſe diſtinctas ad mentem pertinentes. Accipitur nonnunquam Ideæ nomen cum depreſsione; vt dum in homine aſſerit duas primas Ideas inueniri ducentes hominem, nonnunquam in propria acceptione, & forma; vt dum loquitur de Ideis mentis: aliquando verò in eminentia; vt quando boni, pulchri, & vnius aſſerit dari Ideas. Ipſum itaque eminentiſsimè bonum, nonnunquam dicitur Idea boni, cùm ſit purum, & ſincerum bonum, initium bonorum omnium, ad quod conuerti debemus, dum exactum bonum cognoſcere, imitariue cupimus: Hoc ſublime bonum, ex Platonis, Plotini, Numeniiq́ue ſententia, non eſt proximus Mundi Artifex; ſed Artificis mundani Pater, Mundiq́; finis: nam ipſum bonum, ac bonum ſimpliciter, id eſſe dicitur; à quo omnia, quæ verè ſunt, proximè manant, quo omnia egent, quod nullius eſt egenum; ipſum ſibi ſufficiens; nil penitus appetens, menſura omnium, atque terminus; cuius boni tria potiſsimum ſunt munera, vnitas, eſſentia, ſpecies: quæ tria in omnibus modo aliquo inueniũtur, cùm in omnibus ipſius boni aliquid refulgeat; ac vbi ea tria ſunt vera, ibi verè bonũ reperitur. Academici iure meri-

to,

to, dum boni nomen explicant, tria ad ipſum pertinere affirmát; nempe, vt ſit admirãdum, amãdum, atque ſuaue: admirandum eſt, quia nos excitans, diuertensque ab aliis, ad ſe conuertit: amandum, quia cognoſcitur ſub ratione boni, nati à nobis frui; ſuaue, quatenus eo cum incomparabili gaudio implemur. Simili ferè ratione ab Orpheo ipſum bonum nũcupatur initium, medium, & finis; via, veritas, & vita; ac inſuper nedum bonum, verùm etiam pulchrum. & iuſtum: quæ eminentiſsima Trinitas, tot modis refulgens, tot formis ſua munera patefaciens, ipſum vnum non deſtruit; quinimo eius præſtantiam patefacit. Eadem Trinitas illamet cenſeri debet cum ea, quæ à Pythagoricis rerũ omnium perfectio, & menſura poſita eſt, Hoc in loco nos fugere minimè debet, quòd dum ipſum bonum nuncupatur veritas, & vita; id intelligi debet modo cauſſę, nõ modo formæ: ná ſi ad formam reſpicimus; ipſum bonum, vt eſt ſupra intellectum, intelligibile, & eſſentiam; ita eſt ſupra veritatem, & vitam. veritatis enim forma, in forma entis refulget, adeò, vt ſine contradictione ipſum bonum ſit, & non ſit veritas, & vita. Inſuper cum Trinitas, & vnum in Deo refulgeant; nõ propterea eſt quid nouum, vt perperam contra aſſertores Trinitatis inuehitur Auer. 12. Metaph. 39. de quo potiùs putãdum cenſeo, quòd malè intellexerit veram Chriſtianorum de Trinitate ſententiam, & per inania aduerſus

eam inſtiterit; quàm quòd reiecerit fictá quorundam de Trinitate opinionem, vt multi pro Auerrois defenſione affirmāt. Auerroes enim nec Chriſtianam, & veram; nec aliam commentitiam Trinitatem Deo cōuenire cenſuit. Ipſum bonum nō ita ſe habet ad ipſum vnum, vt duo ex eis conſurgant principia rerum: eadem enim eſt vnius, & boni amplitudo, atque poteſtas: Inſuper primum principium omnium, atque finis, non a bone prorſus vlla bonum eſt; ſed ipſa eius prima, ſimplicique natura, quæ accommodatiſsimè imagine Solis deſignatur: propterea Sol corporeus nuncupatur ſenſibilis imago inſenſibilis Dei. Hinc triplex Sol apud Academicos conſideratur: Diuinus vnus, alter intellectualis, tertius ſenſibilis: ipſum bonum eſt Sol Diuinus, qui eſt Sol vtriuſque ſubſequentis Solis: cui ſuccedit Mens, quæ eſt Sol intellectualis, imago quædam, latens tamen, Diuini Solis: poſtremus eſt Sol corporeus, imago ſenſibilis, cum diuini, tum intellectualis Solis. Inſuper vt lux Solis generat, calefacit, & perficit: ita ipſum bonum ſua fœcunditate cuncta producit, ſui deſiderio, & amore inflammat: ac demum fragrantia perficit. Præterea, vt non recipitur lux in re terrea, ſed in perſpicua: ita bonum longè abeſt ab impuro, & terreo; vel potiùs hæc lōgè abſunt ab eo. Inquiunt Peripatetici ens, & bonum inter ſe conuerti. Negant hoc Academici,

demici, & inquiunt neque ipſum bonum eſſe ens, neque è côuerſo; ſed ipſum bonum ſupra ens collocari, eiusque eſſe principium. Lis pendet ex diuerſa cum boni, tum entis acceptione, vt côſideranti redditur notum, & infrà etiam entis explicatione clariùs eluceſcet.

*Defenditur Plato à calumniis Peripateticorum de* IDEA BONI.

## CAP. V.

VT clariùs eluceſcant pertinentia ad bonum, & ſententia Academicorum illuſtrior reddatur, conſiderandum eſt, quod Plato in 6. de R. P. inquit: Boni idea eſt maxima diſciplina; qua quidem & iuſta, & alia ſi vtantur, vtilia, & conducibilia fiunt; atque hoc me dicere fermè velle ſcito. & illud præterea, quod ipſam non ſufficienter cognoſcimus: ſi vero ipſam neſcimus, & ſine ipſa alia quam maximè nouerimus, ſcito nullam ex aliis nobis vtilitatem fore, ſicut neque prodeſſet nobis quicquam, quod ſine bono poſſideremus. hæc Plato. Similem quoque profert ſententiam in 7. de R. P. inquiens: Arbitror in ordine ipſo intelligibili, boni ipſius ideam ſupremam exiſtere, vixque videri; ſi autem viſa fuerit, aſſerendû eam omnibus omnium rectorum, atque bonorum cauſſam eſſe; cum ipſa in loco viſibili lumen creauerit, & luminis auctorem; in ipſo vero intelligibili regnet;

ipſa, veritatemq; & mentem protulerit; quam noſſe neceſſe ſit omnem, quicunque ſana mente quicquã vel priuatim, vel publicè eſt acturus. In his locis præſertim profert Plato ſuam de Idea boni ſententiam: aduerſus quam Ariſt. in primo de moribus acriter pugnat; nititurque oſtendere Ideam boni à Platone approbatam, eſſe rem inanem, Platonicis fundamentis aduerſam, cum ratione pugnantem. Primò eſſe rem inanem, quia minimè eas præbet vtilitates, quas refert Plato: non enim ad actiones, vel effectiones dirigendas confert; cùm artifices aliquid effecturi, ad Ideam boni non reſpiciant, ſed ad bonum, vel vtile ſibi proprium; præſertim cùm Idea boni non ſit aliquid ad actionem, ſed potiùs ad Cõtemplationẽ pertinens. Inſuper oſtendit Ideam boni aduerſari Platonicis fundamentis: quoniam Plato eorum tantùm ponit Ideam, quæ ſunt natura vna ad vnam ſcientiam pertinens, non dicta ſecũdùm prius & poſterius; quæ conditiones bono non conueniunt, ſed cõueniunt oppoſitæ; non itaque eius aſsignari poteſt Idea vna. Demum abſolutè Idea boni videtur cum ratione pugnare; quia ſæpè ſæpius variis oſtẽſionibus Idearum genus reiectum, & exploſum eſt: His rationibus, quaſi tormentis, nituntur Peripatetici euertere Ideam boni. At dum ad dicta in præcedentibus couertimur, non apprimè arduum eſt Platonis ſentẽtiam ab huiuſmodi iniuriis vindicare, incolumemque

que

que conſeruare: Nam Plato per Ideam boni denotauit, non vniuerſale aliquod per ſe ſubſiſtens (hoc enim vt ab Ariſtotele, ita à Platone minimè conceditur) neque etiam denotauit propriam aliquam Ideam in mente poſitam à cæteris diſtinctam; non enim ea à Platone ponitur, vt apparuit: ſed indicare voluit ipſam eminentiſsimæ diuinitatis fœcunditatem, initium, & finem omnium, quę cum ipſo vno omnium capite eadem eſt. Et hoc manifeſtè colligitur ex verbis Platonis ſuprà relatis, dixit enim Ideam boni in loco intelligibili regnare, ac protuliſſe veritatem, & mentem: nam ſi Idea boni protulit mentem, non itaque eſt in ipſa mente; cùm potiùs mēs dicatur parere Ideas conuerſa in bonum, vt inquit Plotinus, quàm Ideæ mentem. Inſuper, ſi protulit veritatē, quia veritas inſequitur id, quod verè eſt, & verè eſſe conuenit Ideis, manifeſtè colligimus Platonem per Ideam boni non denotaſſe aliquam ex illis Ideis, quæ ad mentē pertinent; ſed Dei eminentiſsimam fœcunditatem. Ideo etiam aſſeruit hanc Ideam eſſe ſupremam in ordine intelligibili, quatenus eſt caput eius ordinis, & eminet omnibus. Inſuper dicitur ibi regnare, quia cunctis ibi exiſtentibus præſtat. Neque eſt abſurdũ, vt Idea nomine hoc eminēs bonum deſignetur, cùm ſit eminentiſsima forma, & formarum forma: non tamen ita eſt Idea vna, vt repręſentet vnā naturam ab aliis participatam, vel imitatam.

vt conuenit Ideis illis, quæ in mente conſiderantur: Huiuſmodi eminentiſsimum bonum eſſe omnium finem, nemo dubitat: cognitionem finis ad omnem rectam actionē eſſe neceſſariam, nemo inficiatur. Quamuis enim ab eo, qui operatur, præſertim debeat cognoſci finis proximus; attamen finis proximus ſine poſtremo exactè cognoſci minimè poteſt. Iurè itaque dixit Plato, quam noſſe neceſſe ſit omnem, quicunque ſana mente quicquam, vel priuatim, vel publicè eſt acturus. quæ ſentētia ſimilis eſt illi noſtrorum Theologorum, dum inquiunt, cognitionem Dei omnium noſtrarum actionum eſſe ducem, & regulam. Neq; ob id Plato aſſeruit pro rerum omnium recta effectione eſſe neceſſariam cognitionem illius ſummi boni, vt ei obiicit Ariſt. non enim textori, vel fabro, vel medico pro ſuo obeundo munere id eſſe neceſſarium dixit, ſed pro publica, priuataque actione, denotans actiones illas, quæ ad mores, & prudentiam pertinent, quæ proprie actionis nomine denotantur: Demum in eo ſummo bono collocata proculdubio eſt humana fœlicitas, vt ex conſideratione fœlicitatis patebit. Ex his facilè colliguntur Peripateticarum omnium obiectionum ſolutiones: conſtat enim Ideam boni non eſſe inanem, ſed cumulatiſsimè eos præbere vſus, quos retulit Plato. Conſtat inſuper non aduerſari fundamentis Platonicis: quoniam illæ conditiones ab Ariſtot. cōſideratæ

ſunt

ſunt conditiones earum, quæ propiè nuncupantur nomine Ideæ, & ad mentem pertinẽt: non autem earum, quæ ſolùm in eminentia Ideæ dicuntur, qualis eſt Idea boni, cui reſpondet in rebus nõ ſpecies vna, ſed vniuerſum genus bonorum. Quod ex eo patet, quia Ideæ omnes dicuntur eſſe diſtinctis gradibus boniformes. Accedit, quòd quamuis in bonis per imitationem, ſiue perticipationem conſideretur ordo, & diuerſitas aliqua; ea tamen diuerſitas non propriè conuenit bono, vt eſt bonũ; ſed vt iunctũ in variis conditionibus, & naturis rerum; veluti quamuis vna luminis ſit natura, attamen per varios gradus, & cum aliqua diſtinctione recipitur in perſpicuo. Inſuper de ipſo bono vnica eſt propriè ſumpta ſcientia, immò non ſcientia, ſed intelligentia potius: quamuis imitationum eius, vel participationum variæ poſsint eſſe opiniones potiùs quàm ſcientiæ: ſed Ariſt. per ſua principia non rectè valuit ſecernere intelligentiam à ſcientia, & ſcientiam ab opinione: quare leuiter Platonem carpit, cùm potiùs ipſe reprehenſione ſit dignus.

## *De ipſo* PVLCHRO.

### CAP. VI.

DIctum eſt in præcedentibus, quòd Deus omniũ Princeps, vt eſt ipſum vnum, ita eſt ipſum bonũ, & ipſum pulchrum; quæ tria ita ſe habent cũ Deo, vt ſint de ratione Dei, immò ſint ipſe

Deus. Pulchrum, quo ad noſtrum intelligendi modum, ſub bono dicitur collocari: quoniam nil aliud eſt, niſi ſplendor boni, & veluti actus quidam, ex bono refulgens; qui actus, & in Deo, & in mente, & in aliis rerum gradibus reperitur, at modo valde diuerſo: Eſt primò in Deo, vt idem re cum eo, vt cauſa aliorum: eſt in mente per formas à Deo pendētes, quatentus in ęterna Idearū ſerie ſplēdet actus purus boni, per quem Ideæ omnes & boniformes, & pulchriformes nuncupantur: eſt demum in aliis per participationem. Deus non eſt pulcher, ſed ipſum pulchrum: mens & pulchriformis, & verè pulchra dicitur ob formas, quarum varietate eſt decorata; vt etiam anima per ſuas internas rationes, obſcuriori tamen conditione & gradu, pulchriformis dici poteſt: corporea demum ſolùm per participationem obſcurè, & adumbratè pulchra ſunt. Quàm latè itaque extenditur bonum; tam latè micat, & effunditur pulchritudo. At rediēs ad ipſum bonum, dico: Deus, vt omnia nectit, & fœliciſsimè ligat, eſt ipſum vnum; vt procreat, fouet, & regit, & implet, eſt ipſum bonū; vt illuſtrat, gratiam infundit, excitat, & mulcet, eſt ipſum pulchrum. Quærunt nonnulli viri docti, & ſummopere dubitant, nunquid boni & pulchri vna ſit Idea, vel potiùs duę diſtinctæ Ideæ eis conueniant: qua de re cùm multa dicant, nos ex declaratis in præcedentibus lucidiſsimā explicationē colligere poſſumus.

inus. Primò enim ſtatuendum eſt, vt boni, ita pulchri propriè ſumptas Ideas in mente non dari; ſed eſſe veluti communes quaſdam facultates, & formas per omnes Ideas effuſas; quę ſint, tanquam nerui, & ſplendores omniũ Idearum: Addendum ſecundò, quòd cùm, accipiendo Ideam latè, & in eminentia, detur Idea boni, & pulchri; iſtæ duæ Ideæ re vera diſtinctæ non ſunt, nec vna vnquam ab altera ſeiungitur; ſed vna eſt fulgor alterius; & ſolùm, quatenus vna ex altera micat, & varia ratione pulchrum & bonum nuncupatur, quo ad noſtrum intelligendi modum poſſunt poni duæ diſtinctæ. Sunt itaque, & nõ ſunt Idea vna. Hinc euenit, quòd Plato in Hippia dubitauit; an pulchrum, & bonum idem ſint; & potiùs indicauit, quòd ſint idem, quàm quòd diſtinguantur; cùm præſertim ad præcipua reſpiciendo, idem eſſe dicantur. Eminẽti profectò ratione factum eſt, vt bonum, & pulchrũ inſolubili nexu iuncta ſint; & quàm latè extenditur vnum, tam latè pateat aliud: cùm enim pulchrum id ſit, quod nos excitat, allicit, & inuitat; quoniam in noſtrum finem inuitari, & conuenientibus ſtimulis excitari debemus: iurè cum pulchro debuit eſſe iunctum bonũ; vt per pulchrum duceremur in bonũ, & per eius gradus in ſupremum bonum eleuaremur: Pulchrum itaque in bonum eleuat, & bonum nos nectit cum vno: Hinc euenit, quòd finis poſtremus Amoris vnio eſt, vt etiã

ex conuiuio Platonis colligitur; & quò eminentior eſt amor, eò in eminentiorem vnionem nos eleuat. Ex eadem quoque vnius boni, & pulchri catena pendet; vt qui pulchro delectantur, pulchrum amant, pulchrum quærunt, delectentur Deo, Deumque ament, & quærant: ſed euenit frequenter in hoc mundi antro, vbi ſolæ volitant vmbræ rerum; quòd nos à veriſimili, à falſa pulchri, & boni imagine deluſi, pro vero falſum, pro pulchro turpe, & pro bono malum amplectimur; propterea miſeri toto vitę tempore diſcruciamur. Quare dum nos verè pulchrum inquirimus, nil penitus corporeę pulchritudinis ampliùs inſpicere debemus, quæ ſolùm eſt imago, veſtigium, & vmbra, in altiſsimo materiæ pelago apparens: ſed altiùs eleuati, ad exemplar vmbrarum, ac ad primum omnium principium conuerti tenemur; ne, dum vmbram ſectamur, vel mergamur in aquam, vel, vt contigit Narciſſo, in fugacem florem rationis expertem commutemur. Neque etiam exiſtimandum eſt, ſimpliciter pulchrum proportionem aliquam rei corporeæ eſſe, ſed initium potiùs omnium cõuenientium proportionũ: & ne dum ſimpliciter pulchrũ nõ eſt proportio, immò neq; etiam pulchritudo corporum; ſed illud potius, quòd in proportione refulget. Nam corporũ pulchritudo, nil aliud eſt, niſi actus ille, & ſplendor boni à corpore participati: quod ex principatu formæ, & conuenienti

nienti diſpoſitione materiæ, non ſecus micat extrinſecus, ac refulget flamma luminis ex perſpicua laterna: Eſt itaq; Deus ipſum vnũ, ipſum bonum, ipſum pulchrum: & hæ ſunt cõditiones communes effuſæ per omnia; quæ ab eo, tanquam à cõmuni principio, pendent: Ac inſuper ſunt ſigna primi parentis, per quæ iudicare poſſumus, qui ſint eius legitimi filij; & qui ſint ſpurij, ac degenerent ab eo: nam quò opera eius fuerint meliora, & pulchriora; eò magis generoſa, ſuóque parenti ſimilia, & conſequenter grata cenſeri debent: quò verò fuerint deteriora, & deformiora; eò magis degenerare ab eo, eique minùs eſſe grata putandum eſt. Præter hæc tria, alia quoque tribuuntur Deo; quæ illi optima ratione conueniunt: nam quia nullum eminentiæ eius æquatur nomẽ, propterea multa ei tribuimus; vt multitudine nominum, multitudinem munerum, & eminentiam dignitatis eius latiùs manifeſtemus: ea tamen tria pręcipua ſunt, ad quæ cętera modo aliquo rediguntur. Nam Iuſtum redigitur ad bonũ; Verum propriè conuenit menti, in qua ens recipit principium; quòd ſi ſumatur in eminentia, ad bonum hoc quoque redigitur.

## *De nonnullis quæ Deo tribuuntur.* CAP. VII.

INter cætera, quæ à viris ſapiẽtibus Deo tribuuntur, etiam numeratur ratio, & conſilium: quæ ei conueniunt, primò per modũ eminentię,

& cauſſæ; ſecundò ratione noſtri modi conſiderandi, & operandi. Nil enim ab homine rectè fieri iudicamus, niſi ratione, & conſilio efficiatur: propterea, vt Deo omnem, quam excogitare valemus, perfectionem tribuamus; conſilium quoque, & rationem ei tribuimus; nam per hanc, veluti vmbram, eminentiam dependentiæ rerum ab eo aliqua ex parte manifeſtamus. Inſuper Deo tribuitur vis, & potentia rerum; per quam poteſt omne, quod poteſt; ſic potens, & immenſus dicitur; & ſine contradictione, cùm ſit infinitus, eſt initium, & finis omnium. In eius magnitudine per noſtrum loquendi, & cōſiderandi modum, inuenitur longitudo, latitudo, & profunditas: in eius virtute reperitur dextrum, & ſiniſtrum; in eius præſtantia ſurſum, & deorſum; in eius eſſentia, & opere, anterius, & poſterius: ſic eius profunditas eſt abyſſus Diuinitatis: & caligo; quam neque vis aliqua ratiocinandi, neq; intelligēdi valet attingere. Dum conſideratur Deus ſub ratione Dei, ſub ratione vnius, & boni; quia ſic eſt ſupra Ideas, & mentem; ideo nec intelligere, nec intelligi dicitur: hæc enim verſantur inter mentem, & Ideas; ſimul tamen dicitur ſimpliciſsima lux, abſolutiſsima certitudo, eminentiſsimus intuitus ſuimet, abſque vlla diſtinctione intuentis, & rei, quæ perſpicitur; adeò, vt intueri ſe nil aliud ſit, niſi ipſemet. Inſuper Deus, vt non eſt pars, ita neque totum rectè dicitur:

con-

conuenienti tamen ratione in antiqua Theologia ipſum vniuerſum nũcupatur: ab eo pendet motus cœli, nõ vt ab efficiente, ſed ſolùm, vt à fine; non enim tranſitiuus motus ab eo proximè pendere poteſt, ob imperfectionem, & diſtantiam ſuæ conditionis ab eo. Quod pertinet ad ea, quæ nuper dixi, in tribus Peripatetici diſſentiunt à Platone: Primò, quia Peripatetici Deum proximè mouere Cœlum dicunt: ſecundò, quia aiunt mouere, vt cauſſam efficientem; tertiò, quia virtutem immenſam ei non tribuunt: quamuis de re hac variæ ſint Peripateticorum ſentẽtiæ. hæ tamen ſunt potiores. ſed ad Platonem redeundo, Deus non rectè dicitur liber, nec ſui dominus; ſed rectè dicitur dominatio, ſuapteque natura libertas, ac ſimpliciſsimus actus, principium, & finis actuum omnium: in quo neceſsitas cum libertate non pugnat; ſed à libertate pendet neceſſitas, quia enim ſua libertate ita vult, ita neceſſe eſt eſſe. In Deo non eſt motus, nec verus, nec metaphoricus: cùm in eo non ſit alteritas; non eſt in eo tempus, neque eſt in tempore, neque in inſtanti; ſed ſuper vtrunque. Inſuper non eſt in æternitate, neque eſt æternitas; ſed ſupra æternitatem: æternitas enim eſt ipſe in eodem ſtatus, & menſura quædam in rebus æternis, immobilibusque permanens; quibus præeſt Deus. Nam à Deo in diuinas mentes, integra manat æternitas; in animas rationales, æternitas mixta cum tempore; in Mundi

ſphæras,ſempiternitas temporalis; in hæc denum,quæ ſphærarum motu, virtuteq; fiunt, quædam portio tẽporis. Inſuper in Deo, nulla eſt humana virtus,ſed eſt ſcopus, & eminentiſsima ratio virtutũ omnium; propterea rectiùs fons vniuerſæ iuſtitiæ, & ſupra iuſtitiam dicitur collocatus, quàm iuſtus: & cùm in eo humanæ virtutes non inſint,hoc eſt mirabile; quòd homo per virtutẽ redditur ſimilis Deo. Cuius ratio duplex eſt: prima; quia virtus omnis eſt purificatio; animus purus, & ſua puritate, & receptione Diuinorum munerum, eſt ſimilis Deo: altera ratio eſt; quia quamuis Deus per formam non ſit iuſtus, attamen eſt talis per cauſſam. & eminentiam.

## *Vbi ſit* Devs.

## Cap. VIII.

PRimum rerum omnium initium,vt à cæteris menſuris eſt liberum, ita à loco omni ex parte eſt ſolutum: nam ſi locum expoſceret, non eſſet abſolutè primum, nec abſolutè principium; nam aliud ſupponeret. Verùm, quia nos loco circumſcripti, alicubi ea omnia eſſe iudicamus, quæ ſunt; propterea,vbi ſit Deus, conſiderandum occurrit. Si quærimus, vbi ſit Deus, & conſideramus eſſe alicubi, vt corpora, vel formę corporum ſunt in loco; proculdubio Deus nullibi eſt. Inſuper,ſi conſideramus eſſe alicubi,vt anima, vel participatæ mentes; ita quoque

que nullibi eſt: non enim ad aliquam Mundi partem contrahitur, vt illæ. Demum, ſi conſideramus eſſe alicubi, quia ſit vbique: & ita ſit vbique, vt omnia contineat, & à nullo contineatur; ſic Deus vbique eſſe dicetur. ideo iure de eo canitur; Cœlum, & terram ego impleo. inſuper; Si aſcendero in cœlum, tu illic es; & ſi deſcendero ad infernum, ades. Rectè quoque de eo dicimus, quòd non propriè eſt vbique; ſed potiùs ipſe hoc ipſum eſt, quod à nobis appellari ſolet vbique: & eſt vbique Deus, per præſentiam, vt omnia cognoſcens; per potentiam, vt omnia ſeruans: per eſſentiam, vt res nil aliud ſunt, niſi eius vmbra, & imitatio. Sic Deus cunctis rebus adeſt, ad ea non accedens; abeſt, non recedens; ſed res potiùs accedere ad eum, & recedere dicuntur: nam procul abeſſe ab eo, eſt non eſſe; vel eſſe minùs, & obſcuriùs. Inſuper, ſi Deum conſideramus, vt ab omnibus omni ex parte ſolutum; ſic ſuper Cœlum collocatur. propterea Plato in Phædro locum ſupercœleſtem miris laudibus commendandum aſſeruit; & Orpheus de Deo cecinit:

*Cuncta fouens, atq; ipſe ferens ſuper omnia ſeſe.*

Quòd ſi etiã præcipuum aliquẽ locũ ei aſsignare volumus, id efficere poſſumus dupliciter: primò, reſpiciendo ad ea, quæ verè ſunt; ideo dicimus, Deum in culmine mentis lucere: ſecũdò, reſpiciẽdo ad corpora; ſic in Cœlo, & in excelſis habitat. de quo cecinit Homer.

*Eſſe ſolum diuis ſubnixum ſemper Olympum*
*Fama eſt, haud ventis tremefactum, haud im-*
*bribus vdum.*

Et in Pſalmis legitur; Cœlum, cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum. Demum non ſine ratione Deus in Sole eſſe dicitur, iuxta illud; In Sole poſuit tabernaculum ſuum. Quod verum eſt; primò, quia Sol eſt viſibilis imago eius, vt cum antiquis Theologis dixit Plato: ſecundò, quia manifeſtiſsimè per Solem, in hunc mortalem orbem ſuas vires effundit; quibus de rebus Ariſt. re vera à Platone non diſſentit.

## *De Prouidentia.*

## CAP. IX.

PRincipi adeò propria eſt prouidentia, vt ſine ea nec dici Princeps, nec eſſe vllo pacto valeat; & quò Princeps fuerit eminentior, eò eminentior ei prouidentia conuenit: Deus omnium conſenſu, Princeps eſt eminentiſsimus: iurè itaque ei prouidentia conuenit ſuprema, & eminentiſsima: quod etiã eo confirmatur; quia principis, ob dependẽtiam populorum ab eo, mirumque cum eo nexum, maximè proprius eſt amor erga populos; ex amore conſurgit de re amata cura, & ſollicitudo; à Deo maximè pendet Mundus, & nil in eo eſt, quod nõ pendeat ab illo; maximè itaque diligitur, & ſi maximè diligitur, etiam ſummopere curatur.

Id ipſum nobis oſtendunt opera eius: tam mirus enim Mundi eſt ordo, tam accurata in vniuerſo eſt ordinis conſeruatio, adeò omnia per naturam ſui bonum, ſuique abſolutionem quærunt; vt qui de Prouidentia dubitaret, etiam ambigere poſſet de motu Cœli, & de lumine Solis. Quod demum confirmatur: quoniam ſi Deus Mundo non prouideret, humanaque non curaret; aut id facere non poſſet, aut nollet. Quòd non poſsit, dici non debet: nam principium, à quo cuncta cum eminenti cognitione manant, maximè ea curare valet: & cùm homo ſuorum operum vel Arte, vel Natura effectorum valeat eſſe curator, & cuſtos; longè magis Deus talis eſſe poterit. Si autem poteſt; aſſerere, quòd nolit, impium eſt: nam ipſum bonum, id ſolum vult, quod bonũ eſt; & nulla detinetur inuidia; Cura, & Prouidentia eſt quid bonum, negligentia quid prauum; valet itaque Deus, & vult; & ſi vult, & valet, etiam neceſſariò prouidet: propterea diuinè in 10. de legibus enunciauit Plato; Nunquam à Deo negligeris; nec ſi ita paruus ſis, vt in terræ profundũ ingrediaris; nec ſi adeò ſublimis fias, vt pennis eleuatus in cœlum voles. Nec iniuria quidem: nam, vt dixit Simplicius, Deus vilia hæc non contemnit, quæ producere non eſt dedignatus; neq; eſt Deo difficilis gubernatio, cui eſt procreatio facilis. de quo rectè cecinit Orpheus:

*Tu habes Mundi terminos vniuerſi,*

*Tibi curæ eſt principium, atque finis,*
*Per te vireſcunt omnia,*
*Tu ſphæram totam Cythara reſonante contẽperas.*
Et Boetius.
*O qui perpetua Mundum ratione gubernas.*

Epicurus remouens à Diis prouidentiam, etiam naturam, & conditionem Deorum ab eis ſuſtulit; adeò vt nomine conceſſerit, re verò negauerit eſſe Deos. Et cùm negauerit Deos humana curare, pulchra eſt conſideratio, quomodo Lucretius Epicurum ſequens, valuerit in principio ſui operis Deum inuocare, ab eoque auxilium petere.

*Æneadum genitrix, hominum, diuumq; voluptas,*
*Alma Venus.*

Cùm enim id faciat, ſibi conſtare non videtur. Sed Epicurũ dimittamus, & Lucretium, pro quo aliquid probabiliter dici poſſet. Peripatetici vnà cum Deo prouidentiam concedunt: ſed Peripateticorum prouidentia, potiùs eſt negligentia, quàm prouidentia. Non enim ſine Ideis, & diſtincta rerum curãdarum cognitione prouidentia ſeruari valet. Academici, vt nomine, ita re prouidentiã nouerunt, & comprobarũt: ex quorum ſententia dicimus, Prouidentiam eſſe Diuinam rationem eminẽter in ſummo omnium Principe conſtitutam, in mente per Ideas formatam, & diſtributam; conuenienter pro fide media diſponens: nam prouidentia ortum ducit à Deo; & in mẽte munere Idearum explicatur; per Dæmones,

mones, animas, & naturam, tanquam per famulos perficitur, & abſoluitur. Ea, vt orditur à Deo, & deſcendit ad mentem, Prouidentia dicitur; vt tranſit ad animam, Fatum nuncupatur; cui Natura ſubſternitur. Prouidentia eſt mediorum, & non pro mediis; eſt pro fine, & nõ finis; & quoniam omnia, præter Deum, ſunt modo aliquo media; ideo eorũ omnium eſt prouidentia pro acquirendo fine. Inſuper, quoniam quicquid eſt in Deo, eſt finis; propterea non eſt in Deo prouidentia ſuiipſius; ſed cætera omnia per diuinam prouidentiam conuenientiſsimè in Deum, vt in finem communem ordinátur. Humana prouidentia expoſcit prudentiam, & ratiocinationem. Diuina verò, cùm eminentiſsima ſit, indiuiduè abſque vlla ratiocinatione ſimpliciſsima eſt. Diuinæ prouidẽtiæ omnia proculdubio ſubiiciuntur, ſed vario modo, pro diuerſitate conditionis rerum: res æternæ ad Mundi perfectionem pertinentes, per ſe, & primò ei ſubiiciuntur; res verò mortales, ex euentu, vel ſaltem ſecundariò, vt cõducunt ad ſpecierum conſeruationem. Inſuper eorum, quæ in vniuerſo fiunt: quædam à prouidentia, & ſecundùm prouidentiam proficiſcuntur; vt cœli motus: quædam non à prouidentia, ſed ſecundùm prouidentiam; vt quæ fiunt à viro prudenti, & probo; alia, neque à prouidentia, neque ſecundùm prouidentiam; vt errores naturæ, & quæ fiunt à viro improbo; quæ etiã

prouidentiam penitus non ſubterfugiunt: nã ſi ad vniuerſum prouidentię ordinem reſpicimus: nil eſt in vniuerſo penitus ex euentu, nil penitus à caſu, vel à fortuna; ſed omnia ſunt prouiſa, atque præuiſa.

## *An Mundus ab æterno emanauerit à* DEO, *opiniones aliorum.*

## CAP. IX.

DE Mundi ortu, & interitu variæ fuerunt Philoſophorum ſententiæ: at ego, cæteris prætermiſsis, ſolam Platonis opinionẽ explicaturus, aſſero Mũdum Idealem, ſiue intelligibilem eſſe proculdubio omni ex parte æternum: de Mundo verò corporeo, non ita conſtare, quid Plato ſenſerit, num ſcilicet putauerit ab æterno emanaſſe à Deo, vel potiùs in aliquo temporis principio; ideo variæ Academicorum ſunt ſententiæ. Proclus, Plotinus, Iamblichus, Syrianus, Simplicius, Ioannes Picus, & alij quamplurimi inquiunt Platonẽ putaſſe Mundum omni ex parte eſſe æternum; & Ariſtotelem ſolùm ab eo diſſentire in verbis, in ſententia verò conuenire. Quod ſi Plato in Timæo ponit Mundi generationem inquiens: Vniuerſum igitur hoc cœlum, ſiue Mundum, ſiue quo alio vocabulo gaudet, cognominemus: de quo primò conſideremus, quod in quæſtione de vniuerſo antè omnia inueſtigari debet: Vtrúmne ſemper fuerit ſine

vllo generationis principio, an genitum ſit ab aliquo principio ſumens exordium: id profectò cernitur, tangiturque, & corpus habet; omnia verò huiuſmodi ſenſus mouent; quæ ſenſus mouẽt, opinione per ſenſus percipiuntur; hęc verò talia eſſe conſtat, vt gignantur, & genita ſint; quicquid autẽ gignitur, ab aliqua cauſſa neceſſariò gigni aſſerimus. Opificem quidem, & patrem Mundi inuenire, difficile; & cùm iá inueneris, prædicare, & eloqui vulgò impoſsibile eſt. Quibus verbis Plato ſuam de Mundi ortu profert ſententiam. Proclus, & alij nuper enumerati eá explicátes, inquiunt, Platonem per ea verba ſolùm manifeſtaſſe differentiam inter corporea, & abiuncta à corpore: nam corporea, non verè ſunt, ſed fiunt; abiuncta verè ſunt; propterea Plato tribuebat Mundo generationem; quia cernitur, tangitur, corpus habet, opinione percipitur: vel inquiunt, quòd Plato per genitum denotat dependens; vel quòd ſignificat compoſitum ex initiis ſuis; vel demum quòd denotat Mundũ eſſe genitum ratione generis, quia corpori nõ repugnat generatio; vt nec talpæ videre, ſub ratione animalis. Confirmant viri iſti præclari ſententiam ſuam ex eo, quia Plato inquit: Bonus erat opifex, nulla vnquam aliqua de re tangitur inuidia; at opifex ab æterno eſt talis; quare ab æterno eſt Mũdi opifex. Inſuper addit Plato; Omnia ſibi, quantum fieri poterat, ſimillima fieri voluit; at non eſſet Mundus o-

pificí ſimilis, niſi eſſet æternus. Præterea declarans Plato, quomodo tempus æuo reſpondeat, inquit; Illius animalis, (hoc eſt Mundi intelligibilis) æterna natura eſt; quod genito operi congruere omnino non poteſt. Iccircò imaginem æui mobilem effingere decreuit; ac dum Cœlum exornaret, fecit æternitatis in vnitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus. & poſt pauca; Tempus vnà cum cœlo factum eſt; & ad exemplar qui ideo factum eſt, vt mundus hic illi præſtantiori, quoad poteſt, ſimillimus ſit: ille enim Mundus, huius exemplar, omne per æuum eſt; hic verò perpetuò per omne tempus fuit, ſitque ſolus, & erit. Si itaque tempus eſt imago æui; & ſi Mundus perpetuò per omne tempus fuit, & erit; ſequitur, vt omni ex parte ſit æternus. Inſuper, quòd Plato non loquatur de ortu Mundi in principio temporis; ſed de eo, per quem dicimus ſemper fieri; confirmat Simplicius in 1. de Cœlo; quoniam Plato, antequam dubitet de Mundi ortu, declarat terminos, inquiens: Principiò mihi ita diſtinguendum eſſe videtur, quid ſit, quod ſemper eſt carens generatione; quid verò, quod gignitur quidem, neq; eſt vnquam: illud intellectu per rationis indagationē percipi poteſt, cùm ſemper ſit idem; hoc opinione per irrationalem ſenſum attingi, cùm gignatur, & intereat, neque verè vnquam ſit. Ex quo patet Platonem non loqui

de

de ortu in principio aliquo temporis, vt genitum diſtinguitur ab eo, quod tali principio caret; ſed vt contradiſtinguitur ab eo, quod ſemper verè eſt. Sic in 10. de R. P. inquit Plato: Vita hominis ad vniuerſum tempus nihil eſt. Et ſub initium 3. de legibus ait; per infinitum tempus præfuiſſe homines, & annos eſſe innumerabiles. Mitto alia, quæ cumulatiſsimè à Proclo afferuntur, & referuntur à Philopono in diſputationibus contra Proclum. Qui ſunt huius opinionis, inquiunt Mundum ab æterno pendere à Deo per ſimplicem emanationem; quæ, latè loquendo, dicitur generatio; per quam generans præcedit non tempore, ſed origine, & natura: in qua ſignificatione accipiendum cenſent dictum Timęi Locri: Deus animam Mundi creauit ſuo corpore priorem, tum poteſtate, tum tempore. pariter dictum Platonis in Timæo; Ille verò, tam generatione, quàm virtute, priorem, antiquioremque Animam corpore conſtituit: vtpote, quæ obedienti corpori eſſet imperatura. ideo inquiunt Porphyrius, Proclus, Plotinus; quòd tempus, & generatio, quibus Anima corpus antecedit, non eſt extrinſecum interuallum; ſed eſt ſucceſsio quædam in Anima, quæ in ipſa formarum diſcurſione antecedat origine Mundi motum. Quod ex eo colligunt, quia mundus ſemper fit; Anima verò minimè, ſed eſt modo aliquo. Confirmant, quia per Platonem tempus eſt genitum vnà

cũ mundo: quare non poteſt Anima eſſe prior tempore Mundo. Auer. in 1. cœli; cõtextu 104. hoc concilium nouit, ideo inquit; Defendentes autem Platonem inquiunt, quòd ſimilitudo generationis Mundi ex ſuis elementis cum generatione figurarum ex lineis, ac ſuperficiebus, poſita à Platone, ſignificat, quòd Mundus ſemper fuit; & quòd non intendebat Plato per hunc ſermonem, niſi quòd partes eius ſunt priores natura toto; non quòd fuerit verè genitus; & ſi hoc intẽdebat, nihil differt ab Ariſt. Hæc Auer. Pari ratione, cùm Plato dicat Mundum eſſe ſolubilem; aiunt Mundum dici ſolubilem, nõ quia ſit verè genitus, & in ſe habeat principia interitus; ſed quia continenter pendet à Deo; adeò vt, ea dependentia remota, deſineret eſſe; veluti dicebat Ariſt. in 9. metaph. 17. Si non eſſent ſubſtãtiæ abiunctæ, nihil eſſet: & Auer. in 2. cap. de ſubſtantia orbis inquit; Et debes ſcire, quòd corpus cœleſte nõ eget virtute mouente in loco ſemper tantùm; ſed largiente virtutem in ſe, & in ſua ſubſtantia, permanentiam æternam, &c. hæc dicunt, qui Ariſtotelem cum Platone hac de re nituntur reddere concordem.

*Alia opinio de Mundi Dependentia à Deo.*

## Cap. XI.

ARiſtoteles, & cũ eo Philoponus, Seuerus Atticus, Plutarchus, Alexãder, & alij quamplurimi tribuũt Platoni, quòd

quòd putauerit Mundum ita eſſe genitum, vt ex parte antè non fuerit ſemper: ac inſuper eſſe verè mortalem, Dei tamen voluntate ſeruari æternum. Nec deſunt, qui dicant Platonem opinionem ſuam deſumpſiſſe ex Moſe in Geneſi: vt enim in Geneſi legitur; In principio creauit Deus cœlum, & terram: ita in Timæo inquit Plato. In principio creauit Deus ignẽ, & terram; nam Plato cœlum ignem vocat. inſuper, vt in Geneſi legitur, quòd ſpiritus ferebatur ſuper aquas, & ſpiritus nonnunquam aerem ſignificat: ita Plato duo illa extrema per mediam aquam, & aerem ligari aſſeruit. quòd Plato nõ putauerit Mundum fuiſſe ſemper, colligunt ex eo; quia Plato in Timæo materiam, ex qua mundus conſtat, ait ante mundi conſtitutionem fuiſſe non tranquillam, nec quietam; ſed temerè agitatam, fluentem, ordinisque expertem. Ad hæc reſpiciens Ariſt. inquit in 1. cæli cont. 105. hæc non poſſe dici à Platone, explicationis gratia; vt faciunt ſæpè Mathematici, qui doctrinæ gratia lineas ducunt, & arte orbes conficiunt, cœli formam præſeferentes: nam Plato oppoſita tribuebat materiæ, quæ ei ſimul tempore conuenire nõ poſſunt, ſed expoſcunt temporis diſtinctionẽ: motus enim inordinatus, quem Plato dicebat primò conuenire materiæ, non poteſt eſſe ſimul tempore cũ motu ordinato, ideo inquit Ariſt. hoc nõ eſt idem: in deſignationibus enim, poſitis omnibus eſſe ſimul, idem accidit;

in horum autẽ demonſtrationibus non idem, ſed impoſsibile: quæ enim accipiuntur priùs, & poſteriùs, ſubcontraria ſunt, quæ ſimul eſſe nequeunt, &c. ita quoque in 3. cœli latiſsimè manifeſtat, non potuiſſe elementa ante Mundi conſtitutionem ſine ordine moueri. præterea Plato eandem cœli, & mortalium ſtatuit materiam; aſſeruit mundum conſtare ex quatuor corporeis elementis; non cenſuit cœlum eſſe eſſentiam quintam: quoniam, vt ait Porphyrius, Ariſtoteles fuit primus, qui vnà cum Archita quintam eſſentiam excogitauit. quare, vt quatuor elementa, & conſtantia ex materia, verè gignuntur; ita mundum verè eſſe genitum, Plato viſus eſt exiſtimaſſe. Quod ex eo maximè cõſtat; quia euaſiones eorum, qui ſecus cenſent, inanes eſſe videntur. nam præſertim inquiunt mundum dici genitum, quia continenter fit; ad differentiam eorum, quæ verè ſunt: aduerſus quod inſtabat Alexan. referente Simplicio in 1. cœli 100. quia Plato vtitur tempore præterito, inquiens; Ex inordinata iactatione redegit in ordinem: quòd ſi denotare voluiſſet continenter fieri, ſolùm dixiſſet gigni, in ordinem redigi; non abſolutè redactum eſſe, & genitum. Præterea dum dicimus aliquid continenter fieri, ea generatio iungitur cum interitu: ideò ſi Plato de ea loqueretur, vt tribuit Mundo ortum, ita ei tribueret interitum, quod nõ fecit: nam ait mundum genitum, & ſeruandum fore æternum.

Neque

Neque etiam valemus dicere, quòd Plato ſolam dependentiam, ſiue emanationem à primo principio denotauerit; vel ſolam voluerit manifeſtare compoſitionem. primò, quia inquit mundum eſſe genitum, quoniam cernitur, tangitur, & corpus habet; at ſi dependentiam reſpicimus, etiam ea, quę nec tanguntur, nec corpus habent, pendere à Deo dicuntur. præterea Plato ex eo, quòd Mundus eſt genitus, infert, quòd ſit mortalis: at quòd aliquid ſit ſolubile, & mortale, non colligitur ex eo, quòd continenter fiat, neque ex eo, quòd pendeat; quoniam etiam anima dicitur à Platone pendere, ex ſuiſque initiis conſtare; cùm tamẽ æterna, & immortalis ab eodem frequenter demonſtretur. Cõfirmatur, quia dum dicitur aliquid genitum, & ſolubile; profectò ita accipitur genitum, vt opponitur ſolubili: at mundus ex ſe dicitur ſolubilis à Platone ſolutione, & interitu, qui fieret in tempore, niſi ſeruaretur: quare genitum ei oppoſitum, debet intelligi in tẽpore, & verè genitum. Præterea quòd Plato ſit loquutus de generatione in tempore, nõ autem de æterna emanatione, ex eo patet; quia dum mouet difficultatem, genitum videtur opponere ei, quod ſemper fuerit, nam inquit; Vtrúmne ſemper fuerit ſine vllo generationis principio, an genitum ſit ab aliquo principio ſumens exordium. Inſuper, inquit, an genitum ſit; non autẽ quærit, an continenter fiat. Inſuper in Euthydemo, referẽs ſophiſ-

ma ad oſtendendum, nos & ſemper, & omnia ſcire, colligit; Conſtatitaque, quòd puer ſciebas, & quando genitus es, & quando natus; immò, & antequam naſcereris, & antè Cœli, terræque ortum ſciſti omnia, ſi modò ſemper ſcis. Præterea inquit Plato in Timæo; Dies porrò, & noctes, & menſes, & annos, qui ante Cœlum non erant, tunc naſcente Mundo naſci iuſsit, &c. Demum in libro de regno ait, Priſcos homines ex terra fuiſſe ortos. Hæc potiora ſunt ex illis, quæ afferri poſſunt ad oſtēdendum, quòd Plato verè aſſeruerit Mundum, & tempus habuiſſe principium, non autem fuiſſe ſemper.

*Sententia propria, & diſſolutio difficultatis.*

## Cap. XII.

MVlta, & ea quidem magni ponderis ſunt, quæ pro omni parte afferri poſsūt; adeò vt iure viri ſapiētes de ſentētia Platonis ſummopere fuerint ancipites, & varij varia ſenſerint, & lis adhuc ſub iudice pendeat. Verùm, vt de re tam dubia dicam, quod ſentio, ita decernendum cenſeo. Si accuratè perpendimus modum philoſophādi Platonis, inueniemus primò, quòd de his, quæ pertinent ad Dei gloriam, ad hominis erga Deum pietatem, ſemper ſe certiſsimum manifeſtauit; ſemper attinentia ad Dei eminentiam, fœcunda oratione, plenisque (vt aiunt) faucibus extulit; vt de Prouidētia Dei,

de

de Religione, de rerum omnium à Deo depē-
dentia, & aliis huius generis ſe habet. percipiemus ſecūdò, quòd de indifferentibus, ſiue ſint ęterna, ſiue mortalia, ſemper ſe ancipitem manifeſtauit; dixit ſe nihil ſcire; affirmauit in Phædone in perſona Socratis, ſe ob naturaliū rerum conſiderationem vſque adeò fuiſſe obcęcatum; vt ea etiam, quę priùs manifeſtè ſciebat, vt ei, aliiſque videbatur, in ignorationem fuerint conuerſa. His animaduerſis, dico, in Mundo nos duo poſſe conſiderare: primū eſt, quòd pendeat à Deo; alterum eſt, quando à Deo manauerit, num ab æterno, vel in certo, & determinato principio. primum verè manifeſtat conditionem, & gloriam Dei, ac in nobis pietatem parit erga illum: alterum eſt indifferens; quouis enim modo ſeſe habeat, ſemper indicatur Gloria opificis, ſemper manifeſtatur nos omnia iudicare debere munera Dei. Propterea de primo ſe certum vbiq; manifeſtauit, de altero ſe vbique indicauit dubiū. Inſuper conſueuit Plato de attinentibus ad gloriam Dei multa ex antiquis depromere. & præſertim ex Aegyptiis: ideo in Timæo Aegyptiis, vt antiquiſsimis, ſine ratione credēdum eſſe ait: prę ſertim, cùm de Diis eſt ſermo. hanc difficultatis reſolutionem colligo ex Platone in 6. de legibus aſſerente: Scire omnes oportet hominum generationem, vel nullum vnquam prorſus initium habuiſſe, neque terminum habituram; ſed fuiſſe omnino ſemper, &

fore:aut ſi cèpit, inextimabili ante nos tempo-ris magnitudine incepiſſe. Sic de initio ſe dubium affirmat. Inſuper, in 10. de Legibus inquit: Si quouis modo vniuerſa ſimul ſteterint, vt plurimi talium audent dicere; quem motum potiſsimum primum in ipſis fieri aſſeremus? his quoque verbis Plato aſſerit, ſe nil audere de principio mundi decernere. Ad hæc fortè reſpiciens Ariſt. in lib. 1. Topicorum dixit, Problema de mundi æternitate eſſe Dialecticum: nam dialecticum eſt non ex opinione Ariſt. qui putat ſe æternitatem exactè demonſtraſſe, ſed ex opinione Platonis. Cùm itaque Plato de hac re nil abſolutè decreuerit; præſertim tamen ex fundamentis eius ſequitur, vt ſit omni ex parte æternus, cùm æterna ſit materia Mundi, pariter & Anima. ideo potiores Platonici, huic parti potiùs, quàm alteri adhærent. Nec difficile eſt rationes ſoluere, quæ huic parti aduerſantur. Ex his colligo re vera Ariſtotelem diſſentire à Platone: primò, quia Ariſt. ſe de æternitate certum manifeſtat, Plato dubium: ſecundò, quia Ariſtot. cœli, & mortalium diuerſam cenſet eſſe materiam, Plato eandem: tertiò, quia Plato, ſi etiam concederet mundi æternitatem, attamen ei conuenire aſſereret cauſſam efficientẽ, & poneret emanationem illam æternam, quam ęternam creationem appellant; quàm minimè cenſeo cum Ariſt. concedendam fore: quartò, quia cùm Plato cœli, & mortalium eandem ſtatuat

materiam, magis ponit mundum ſolubilem, & magis indicat egere conſeruante, quàm faciat Ariſt. Ad quæ fundamenta ſi reſpicimus, optimè cognoſcemus, quàm leuiter Simplicius Ariſt. hac de re cum Platone conciliet, & quàm manifeſtè ſententias verè diſtinctas confundat.

*FINIS PRIMI LIBRI.*

# STEPHANI THEVPOLI, BENEDICTI F. PATRITII VENETI,

## *ACADEMICARVM Contemplationum,*

## LIBER II.

### *De mente, an re diſtinguatur à* DEO.

### CAP. I.

DEo, qui ipſum Vnum, Bonum, Pulchrum, Mundusq; eminentiſsimus nuncupatur, ſuccedit proximè Mens, filius ipſius boni, quæ mundus intelligibilis, & Idealis dicitur: de qua magna apud Platonicos eſt controuerſia, an ſit re, & ſubſtantia diſtincta à Deo, vel ne. Qui Platonem magis cũ noſtris Theologis conciliare nituntur, aſſerũt apud Platonem id denotare Deum, mentem, & animam, quod apud noſtros Theologos Diuina Trinitas; mens enim eſt Filius Dei. Pia profectò eſt horum intentio, at ſententia minimè eſt vera. Primò, quia anima ſequitur poſt mentem, & ab ea ſola proximè pendet: Spiri-

tùs

tus ſanctus ab vtraque perſona ſpiratur. Inſuper Anima multis modis compoſita eſt, & numerus ſe mouens à Platone dicitur; eiusque, vt cæterorum generabilium, datur propriè Idea; quæ longè diſtant à S. Spiritu. Præterea Ideæ, ex Academicorũ ſententia, conueniunt mẽti nõ cõueniũt Deo, non animæ: ná animæ ſolùm rationes cõueniunt: quib. de rebus lõgè ſecus decernũt Theologi, adeò quòd dum pium nituntur reddere Platonem, eum reddunt maximè impium; cùm indicent malè ſentire de Diuina eſſentia, & Trinitate. Propterea aſſerendum cenſeo ex ſententia Platonis, Deum, mentem, & animam re, & ſubſtantia diſtingui; vt Plotinus, Numenius, & alij plurimi exiſtimarunt: quod ex eo patet; quia in mente conſideratur à Platonicis compoſitio, multitudo, vnio, modus materiæ, aliaque multa, vt in progreſſu apparebit; quæ alieniſſima ſunt à Natura Dei. Inſuper inquit Plato in Philebô, mentem eſſe progeniem primæ cauſſæ, & in 7. de R. P. ait ipſum bonum procreaſſe mentem. Præterea, cùm Plato in Epiſt. ij. ad Dionyſium dicat; Circa omnium Regem omnia ſunt, ipſius gratia omnia, ipſe pulchrorum omnium cauſſa; circa ſecũdum ſecunda, tertia circa tertium; quibus verbis Diuinam Trinitatem cenſent nonnulli Platonem indicaſſe: proculdubio, ſi ea rectè conſiderantur, potiùs indicant Platonem putaſſe ea tria re, & ſubſtantia diſtingui, quàm ſecus. quoniam ſi

vnam eorum putaſſet eſſentiam, non aſſeruiſ-ſet rerum varios ordines, nempe intelligibile, rationale, & ſenſibile, reſpicere ea tria; illiſque tribus conuenienti ratione reſpondere. Propterea dicendum cenſeo Platonem ſolùm eminus, & obſcurè, per internum Diuinitatis contactum; qui, vt inquit Iamblichus, ineſt nobis ante omnem rationis vſum; per ænigmata & imagines ex Priſcis Theologis depromptas, vmbram aliquam Diuinæ Trinitatis nouiſſe, & indicaſſe; re vera tamen, eá minimè cognouiſſe; non enim in ipſo vno Trinitatem excogitare valuit. huius eminentiſsimæ cognitionis, Diuinæ reuelationi, non humanæ rationi referendę ſunt gratiæ. ſeiunxit itaque Plato animam à mente, mẽtem à Deo. quòd ſi etiam aſſereremus, illum non ſeiunxiſſe mentem à Deo, non propterea cenſendum eſſet ita ad Deum ſe habere, vt apud Theologos filius ad patrem; ſed potiùs dicendum eſſet, quòd ita ſe haberet ad Deum, vt apud Theologos ſe habet mũdus in Dei mente prædefinitus, & prædeſtinatus ad immẽſam Dei eſſentiam. His de rebus Ariſt. maximè diſſentire à Platone, nemini debet eſſe dubium: Ariſtoteles enim in primo mobili, nec animã diſtinguit à prima mente, nec mentem à Deo ego autem cum Platone de mente, vt à Deo diſtincta, verba faciam.

Quid

## *Quid ſit Mens.*

## CAP. II.

A Deo, vt ab increata luce manat mẽs, tanquam lux creata, inſenſibilis tamen; cui in rebus ſenſibilibus Sol viſibilis proportione reſpondet. Deus eſt omnium centrum; mens eſt immobilis circulus à centro pendẽs: Deus eſt ipſum vnum; Menti per nexum cum vno, conuenit vnio, & vnitas. Deus eſt ſuper ens, & initium entis: Mens eſt eminentiſsimum ens, & omne, quod verè eſt; nam quod verè eſt, intelligibile eſt; huiuſmodi ſunt Ideæ, quę menti conueniunt. ideò rectè dixit Plato; Circa omnium Regem omnia ſunt quod verum non eſſet, ſi Rex omnium, ens nuncuparetur. Dicitur itaque prima mens vnitas, eſſentia, eſſe, veritas, vita, intelligibile, & intellectus; quæ inter ſe non ſubſtantia, ſed ratione diſtinguuntur. Vnitas, ſiue vnio, eſt participatio ipſius primi vnius, & nexus cum eo. Eſſentia eſt veluti vnitatis proceſſio, ex qua ens conſurgit; nam eſſentia eſt id, quod res eſt. Eſſe verò eſt ipſa exiſtentia, quæ ex eſſentia conſurgit. Ens eſt in eodem gradu cum veritate. Mens itaque eſt primò ens, primoque eſſentia; at non primò vnum, ſed participatione. Eſſentię, & enti ſuccedit Vita, quæ verè & abſolutè vita eſt: nam cæteræ ſunt vmbræ quædam, & potiùs non vitæ, quàm vitæ. Sequuntur mox Ideę, ſiue formæ entium, quę Intelligibilia nuncupantur. Demum adeſt In-

intellectus, qui in ſe, & ad intelligibilia conuertitur; qui verè & abſolutè eſt intellectus: nam transfertur ſæpè hoc nomen ad animam rationis compotem, cui ſolùm per conuenientiam, & ſimilitudinem conuenit. Hæc prima mens eſt ea, quæ à Platonicis Mundi faber nũcupatur. Propterea rectè aſſeruit Speuſippus, ens primum eſſe proprium principium cæterorum entium, Mundi fabrum, ac interminabilem Diuinitatem, ab vno ſuperiore pendentem. Ex his conſtat, dum gradus eorum, quæ ſunt, ex ſententia Platonis, vel ſectatorum eius, numerare volumus; nequaquam in primo gradu collocandam eſſe mentem; cùm manifeſtiſsimè ab eis in ſecundo gradu collocetur. Quod nouit etiam Philoponus, & aſſeruit in 3. de anima 15. Pariter & Auer. in ſuis diſputationibus cõtra Algaz: diſp. 5. in fol. 3. dubij. Ex ſentẽtia verò Ariſt. ſecùs ſe habet: nam Deum, primam mentem, primumq́ue intelligibile in idem redigit: non enim tam exactè reſoluit, nec tam accuratè diſtinguit principia rerum prima, vt faciunt Platonici.

*De principiis, & generibus rerum.*

CAP. III.

VT appareat, quomodo in mente, ſiue in mundo intelligibili reperiatur cõpoſitio: primò, quæ ſint interna principia, & quę prima genera rerum, explicandum eſt. Principia, ex Platonis ſententia,

tia,ſunt infinitum, terminus,& vnum: infinitum præſefert materiam,terminus formam: vnum verò, quod eſt iam ex vtriſque permixtum; vt in Philebo docuit Plato. Hæc initia, modo corporeo conueniunt mundo corporeo, modo verò intelligibili,mundo intelligibili: hæc ſunt principia, non quidem generationis, vt tranſmutatio eſt, adeò vt ſint ſubiectum,& duo termini tranſmutationis; quemadmodum explicantur ab Ariſt. in 1. Phyſ. ſed ſunt initia ſolùm intrinſecùs rem conſtituentia. Hæc tria principia redigi poſſunt in duo; quoniam id tertium,nempe vnum ex vtriſque permixtū, potiùs eſt proles ex principiis conſurgens, quàm principium; vt in Philebo manifeſtauit Plato; à nonnullis tamen illuſtribus Platonicis ponitur principium tertium; quatenus participatio vnius, & totū, eſt quid diſtinctum, & ſuperueniens componentibus. Ariſt. in 1. Phyſ. ait Platonē pro principiis ſtatuiſſe magnum,paruum, & vnum,per quæ Ariſt. denotauit infinitum,& terminum, poſita à Platone, in Philebo: nam infinitum eſt magnum, & paruum, vt in proprio loco apparebit:& Plato ſe in Timæo declarat: Terminus autem eſt id præſertim,ex quo conſurgit vnū: qui terminus eſt Ideæ participatio, & reſpondet formæ poſitę ab Ariſt. adeò,vt in his re vera non ſit lis inter Ariſt. & Platonem. Inſuper Plato præter principia ponit quinque genera rerum,vt cumulatè in Sophiſta manifeſtauit:

ea ſunt Eſſentia, Motus, Status, Identitas, Alteritas; latiſsimè à Plotino in libro de generibus entis explicata. Hęc à Proclo in expoſitione Timæi, eſſendi cauſſæ nuncupantur; quæ varia conſideratione, & genera, & principia dici poſſunt: genera quidem, vt ſub vnoquoque alia cõtinentur: principia verò, vt res conſtituunt. ideo varia ratione, & modo dicuntur genera, ac nuncupentur illa decem ab Archita excogitata, quæ prædicamenta nuncupantur. de his longe ſecùs videtur ſentire Ariſtot. primò, quia cum Archita ponit decem genera rerum: ſecundò, quia in 3. phyſic. manifeſtauit motum nõ eſſe genus, neque naturam vnam; ſi non motus, neque etiam ſtatus ei oppoſitus; & præſertim, quia oppoſita ad idẽ genus pertinere videntur; quare etiam alteritas, & identitas minimè videntur poſſe duo genera conſtituere. Simplicius in 3. Phyſic. laborauit pro concordia: & re vera longè ſecùs accipitur nomen generis apud Platonem, quàm apud Ariſtotelem; cùm Plato prima principia rem cõſtituentia, nuncupet genera; Ariſt. verò neget ea eſſe genera, & ſola ex principiis conſtituta genera cenſeat eſſe dicenda; ideò 12. Metaph. prædicamentorum quærit principia. Inſuper Ariſt. ſolùm mortalium, vt cenſeo, propriè aſſignauit genera; æterna verò ſimilitudine tantùm, & conuenientia quadam cenſuit ad prædicamenta redigi: Plato econtra ita genera prima rerum aſsignauit, vt primò conuenirent mundo

mundo intelligibili. Demum nomen motus longè ſecùs apud Platonem vſurpatur, quàm apud Ariſt. Plato enim omnem ab aliquo proceſsionem, motum appellat; Ariſtot. verò ſolum actum imperfectum. Cùm itaque ex his vocibus lis præſertim oriri videatur; attamen etiam, ſi ſententiam intimiùs conſideramus, omnino cõuenire non iudicabimus: quoniam Ariſt. minimè concederet hæc in anima, & in mente poſſe reperiri: inſuper minimè diceret ea eſſe primos eſſendi modos; ſed potiùs id tribueret actui, & potentiæ.

*Quomodo in mente ſint principia rerum.*

CAP. IV.

ESſe abſolutè ſimplex, ei ſoli conuenit, quod abſolutè eſt primum, & indepẽdens: propterea ſolus Deus abſolutè ſimplex eſt; cætera omnia ſunt compoſita, & modo ſibi conſentaneo vnione prędita; nam mundus intelligibilis modo intelligibili, rationalis modo rationali, ſenſibilis vero modo ſenſibili compoſitus eſt: adeò, vt omnia, conditione ſibi conueniente, ſint in omnibus. Vnio, & compoſitio conſurgit cũ ex principiis, tum ex generibus: præſertim tamen ex principiis vnio, ex generibus compoſitio prodit, ordiens à principiis: vt ab vnitate proximè pendet binarius; ita ab ipſo vno fluũt proximè infinitum, & terminus; quæ ſunt, binarius primus primi numeri rerum. Hæc duo, vt rectè Plotinus exiſtimauit, nunquam

inueniuntur à compoſitione aliqua, & præſertim à prima, quæ primæ menti conuenit, ſeparata: ſed ſolùm ratione, & forma diſtinguuntur. Infinitum in prima mente eſt eſſentia, vt formabilis, & terminabilis: terminus verò eius eſt prima, vniuerſaliſque eius forma: in quibus tertiò conſideratur participatio vnius, & totum; quod totum, ita in ea eſt totũ, vt modo aliquo in quauis parte ſit totum. Inſuper eſſentia, vt pendens ab vno, modo quodam eſt non vnum; atque vnum, vt eſt non vnum, ſortitur infinitatem; vt eſt vnum, ſortitur terminum. Infinitas præſertim verſatur circa vitam; terminus, circa intellectum, vel intelligibilia. Demum in hoc primo ente alia conſideratione reperitur infinitum, & terminus; non quidem reſpiciendo ad entis conditiones, ſed ad conditiones intelligibilium, ſiue Idearum, ad quas pertinet numerus. Nã multiplicabilis natura, & quaſi vlteriùs progreſſura conditio, ideis cõuenit, per quam infinitum eis tribuitur: quibus mox conuenit finitum, ſiue terminus; quatenus abſolutè certus eſt idearum numerus, inter ſe formaliter differentium; finitæque ſunt ſpecies rerum Diuinarum, & ſenſibilium. Inſuper infinitum conuenit Ideis, quatenus vnaquæque Idea ad innumera indiuidua refertur, variis illam modis, temporibus, locisque participatura; cui Ideæ infimul conuenit terminus, quatenus quælibet eſt vna certa forma.

Quo-

*Quomodo in prima mente ſint quinque genera rerum.*

## Cap. V.

QVoniam mens prima eſt vniuerſum, & totum abſolutiſsimum: propterea in ea, cuncta rerum genera debēt inueniri; ſcilicet, Eſſentia, Motus, Status, Identitas, Alteritas; quæ tamen inter ſe ſola ratione diſtinguuntur: ob quam diſtinctionem vnum non eſt alterum, vnum non prædicatur de altero. Vt autem appareat, quomodo in hoc abſolutiſsimo ente ea inueniantur; conſiderandum eſt, eſſentiam in eo eſſe genus primum, circa quod cætera genera verſantur; mox in vita conſideratur motus, & alteritas: vita enim eſt vegetus actus ex eſſentia pullulans, omnis vitæ, motusque principium: in intellectu conſideratur ſtatus, & identitas; quatenus eſt vitalis motionis terminus, progreſſum vitæ ſiſtens. Inſuper alia ratione in hoc primo ente eadem genera ita conſiderantur. In eſſentia eſt identitas ratione termini, & vniuerſæ eius formæ; quæ vna, & ſemper eadē eſt. Alteritas ei cōuenit per multiformes Ideas. Ratione quarum etiam ei conuenit ſimilitudo, quia conformes ſunt, ſemperque in habitu ſimili perſeuerant: Diſsimilitudo, quia ratione inter ſe differunt, & diſsimilia faciunt. Æqualitas inſuper, quia ſemper æqualis ſunt virtutis; idemque vnius Ideæ eſt actionis mo-

dus: Inæqualitas denique; quoniam diuerſarum Idearum inæquales ſunt vires, & gradus; atque etiam inæqualia faciunt. Demum hoc primum ens, quatenus abſolutè eſt, ab ipſo vno ſortitur Eſſentiam; & quatenus manando ab illo exiſtit, Alteritatem nanciſcitur, atque Motum: quatenus verò, cùm habeat eſſe ab illo, ad ſe, & ad illud conuertitur; Identitatem accipit, atq; Statum. Si hæc conferimus cum ſententia Ariſt. inueniemus Ariſt. cum Platone Deum ſtatuere abſolutè ſimplicé: in intelligẽtiis vero ſub Deo collocatis duplicem ponere compoſitionem; vnam ex intellectu, & intelligibili, quatenus intelligunt aliquid ſupra ſe; alteram ex actu, & potentia non repugnantiæ, pendentem ex receſſu à primo, quatenus eis ſub ratione entis non repugnat maior perfectio: quæ duæ compoſitiones longè ſunt diuerſæ ab explicatis ex ſententia Platonis. Concedunt Platonici vtraſque, at ſuperaddunt alias, quæ partim aduerſantur fundamentis Peripateticorum, partim cum eis conſentiunt: aduerſantur, quatenus Plato eas recipit ex emanatione mentis à Deo, ac inſuper ex Ideis menti conuenientibus. Ariſt. nec æternam emanationem concedit; non enim ibi reperitur prouentus, & conſecutio, niſi, vt intelligibile eſt cauſſa intelligẽtis, quemadmodum in 12 Metaph. 44. inquit Auer. Pariter non admittit Ideas; conſentiunt tamen, quatenus etiam Ariſtot. intelligentiis varia tribuit, quæ ſola

ſola ratione ſunt diſtincta.

*Conditiones nonnullæ primæ mentis.*

CAP. VI.

QVoniam ſolus Deus eſt abſolutè primus, abſolutè ſimplex, abſolutè perfectio; propterea ipſe ſolus, nedũ materiæ, verùm inſuper modi materiæ eſt expers; cætera verò omnia materiam includunt, vel materiæ modum: & quo magis ab ipſo bono diſtant, magis eam includunt. ideo Mens proxima Deo, minimè includit materiam; & ita maximè eſt vnũ formale, vt prima materia maximè eſt infinitum formabile. Hæc ſub bono poſita, maximè expetit bonũ, maximeque eo fruitur, adeo vt fruitio expetitioni æquetur. Eadem dicitur genita, & ab ipſo bono, & a ſe: ab ipſo bono, quia ab eo manat, in quod etiam intelligendo conuertitur: à ſe vero, quatenus ab eſſentia fœcunda procedit vita, & in ſe intelligendo reflectitur: quatenus autem ſemetipſam generat; ſemetipſa ſimul, & iunior, & ſenior dici poteſt; nam reſpiciendo ad ordinem generationis, primo eſt eſſentia, mox vita, deinde per motum intelligendo in ſe reflectitur. Sic in ea prior eſt eſſentia, quàm vita, vita, quàm intellectus: Inſuper prior eſt ſubſtantia, quàm virtus; virtus, quàm operatio; adeò vt eſſentia ſenior, quàm vita, vita, quàm intellectus dici poſsit. Pariter intelligibile eſt ſenius intellectu, intellectus eſt

ſenior anima. At ſi ad Identitatem menti conuenientem reſpicimus, ea eſt ſibi ætate æqualis. Huiuſmodi comparationes conueniunt quidem menti; ipſi verò vni, quia ſimpliciſſimum eſt, vel non conueniunt, vel nō propriè. Inſuper, in omni ordine natura ſupereminés, & imparticipabilis, participabilem antecedit: propterea, quamuis cętera entia à primo ente; primumq; ens ab vno proficiſcatur; attamen, nec primum vnum, ab vllo vſquam vno participabile eſt; nec primum ens, ab vllo ente; nec primus intellectus, ab vllo intellectu participari valet. Collocata autem ſub primo ea ſunt, quæ nata ſunt participari; & cùm participentur, dicuntur perficere, & cum participante iungi, & vniri. Ex hactenus dictis conſtat primò, quomodo vera ſit ſententia Parmenidis approbata à Platone, verbo tenus reiecta ab Ariſt. in 1. Phyſ. quòd omnia ſint ens vnum, res vna, eſſentia vna: nam ea eſt mens, in qua cuncta puriſsimè inſunt. Conſtat inſuper quomodo ex ſententia Simplicij, intellectus non participatus fluat ab vno, & ſub vno collocetur; intellectus participatus, ſub non participato diſponatur.

*Aliæ primi Entis conditiones.*

## CAP. VII.

MEns prima, primumq; ens varia cōſideratione eſt in ipſo vno, eſt in ſe, eſt vbiq; : primò eſt in ipſo vno, quia ab eo pendet: mox eſt in ſe, cùm ſit vniuerſum,

uerſum, & mundus intelligibilis: vniuerſo, vt vniuerſum eſt, repugnat eſſe in alio: demum eſt vbique, quatenus cuncta ab eo producta ſunt, & conſeruantur. Inſuper dicitur ſemper ſtare, ſemperque moueri: ſtat ſemper, quatenus eſt in ſeipſo, & in ſuo eodem ſemper manet: mouetur vero, vt in ſe conuertitur, & ab ipſo vno pendet, & conſeruatur. Inſuper eſt ſibimet idem, atque alterum; cæteris idem, atq; alterum: ſibimet eſt idem, vt manet ſemper, alterum vt mouetur: cum cæteris verò compa ratum, eſt alterum; quia quod verè eſt, non dicitur de his, quæ non verè ſunt: eſt autem idẽ, quatenus pura alteritas non datur; cùm enim omnia pendeant, ſeruenturque ab infinito vno; in omnibus vnitas, identitasque regnat. Præterea, quatenus hoc primum ens eſt idem, atque alterum, ſimile, atque diſsimile; eatenus ratione identitatis, & ſimilitudinis, & tangere, & tangi dicitur; ratione diſsimilitudinis, nec tangere, nec tangi: cõtactus tamen, ac inſuper continuatio magis propriè ei conueniunt, dũ ad dependentiam, & operationem reſpicimus; quàm dum reſpicimus ad identitatem, & alteritatem. Inſuper hoc primum ens, & ſecum, & cum aliis comparatum, æquale, & inæquale dicitur: æquatur patri vno; quia quæ in virtute, & eminentia ſunt in patre vno, ſunt in ente filio per formam; cui tamen inſimul apprimè eſt inæquale: Si ſecum comparatur, ratione identitatis, & ſtatus, eſt æquale; ratione alteri-

tatis, & motus, eſt inæquale: Si demum confertur cum mũdo corporeo, eſt pariter æquale, & inæquale; & cùm ſit inæquale, eſt inſimul & maius, & minus. Æquatur primũ ens mundo corporeo: quia quot Ideas in ſe inſpicit illud, tot in mundo corporeo formas cõſtituit: Eſt inſuper maius mundo corporeo, cùm eius ſit faber: eſt minus, ob multitudinem, & aceruum huius corporei mundi, ne dum rerum, quarum ſunt Ideæ; verùm etiam earum, quarum non ſunt. In hac prima mente tres conſiderantur operationes, treſque relationes, prima, vt in ſummum bonum conuertitur, idque contemplatur: ſecunda, vt in ſe conuertitur ſe ipſam cognoſcens, & producens: poſtrema, vt producit inferiora. per primam operationem ſolùm perficitur, per mediam perficit, & perficitur; per poſtremam ſolùm perficit. per primam dicitur Saturnus contemplationi intentus, ſub Cælio poſitus; per ſecundam Saturnus in ſe manens; per tertiam Iupiter humana diſtribuens, & gubernans. Ex his cõſtat, quòd quamuis prima mens dicatur Sol intelligibibilis: vnde manant munere Idearum per vniuerſum radij ſimul ſenſibiles, & non ſenſibiles; attamen modo aliquo etiam Lunæ eſt ſimilis, quatenus facies eius ad ipſum vnum, quaſi ad Solem conuerſa, magis fulget, quàm altera conuerſa ad mundum corporeum.

De

*De numero Mentium.*

## Cap. VIII.

MEns non participata, omninoq; prima, omnium cōſenſu, vna eſt: an verò poſt eam dentur alię non participatę mentes, nō conueniunt Platonici. Nonnulli plures enumerant; quibus aſſentiri videntur Proclus, & Syrianus. Alij id renuunt, & ſolam vnam ſtatuunt, non participatam mentem; vt Plotinus, & Porphyrius: quorum ſententiam potiorem cenſeo; nam eſſe plures, nec ratio oſtendit, nec vſus vllus expoſcit. Mentes in anima participatæ, dupliciter conſiderari poſſunt; vel in ſe; vel vt ab anima participatæ. conſideratæ in ſe, minimè diſtinguuntur; ſed vnitate ſunt præditæ: conſideratæ verò, vt ab anima ſunt participatæ, tot ſunt, quot ſunt animæ; & de his vera eſt ſententia Platonis, non inueniri mentem ſine anima. Sic itaque participatæ mentes, & vna, & plures ſine contradictione dicuntur. Propterea modò Soli, modò Lumini dicūtur ſimiles: cùm enim Sol ſit vnus, per varios radios in perſpicuo receptos, modo aliquo redditur multiplex. Quomodo etiam mens participata ad non participatam ſe habeat, non vna eſt Academicorum ſentētia. Nonnulli cenſent eas minimè inter ſe ſubſtātia diſtingui, ſed ſolùm ratione, & modo ſeſe habendi; vt Solis lux, & radij eius. Quam ſententiam minùs veram

cenſeo; quoniam expoſcit vniuerſi plenitudo, vt in potioribus rerum gradibus primò inueniatur gradus, & conditio rei eminens, ſimplex, & ſeiuncta; mox alia aliis communicata. Propterea veriorem cenſeo ſententiam oppoſitam, quòd mens participata à non participata re, & ſubſtantia diſtinguatur: adeò vt mens non participata ſit, tanquam eſſentia Solis: mens participata, dum in ſe conſideratur, ſit, tanquam lux in Sole; dum verò conſideratur, vt participata, ac in anima recepta, proportione reſpondeat radiis in perſpicuo refulgentibus. Inſuper quoniam participantium animarum conditiones variæ ſunt; ideò & magis, & minùs mente participare dicuntur; vt perſpicuum magis, & minùs purum, magis, & minùs luminis eſt capax. Ex quo conſtat, quomodo intelligi debeat dictum Platonis in decimo de Legibus, aſſerentis; Si anima intellectum diuinum acceperit, rectè cuncta Diis recta, fœliciaque perducit; ſin verò cùm amentia iuncta fuerit, omnia his contraria facit. Mens participata, quoniam ſub nō participata collocatur, ideo ea quoque compoſita iudicari debet: adeò quòd interna illa principia, communiaque rerum genera, quæ vidimus primæ menti cōuenire, etiam conueniant participatis mentibus; cum maiori tamen diſtinctione. Inſuper vt mens nō participata, fœlicitate fruitur, quia proximè cum ipſo bono, & vno iungitur: ita participatæ mentes, fœlicē vitam viuunt; quia iun-

iunctæ cum prima mente, bonum, & vnum attingunt: & propterea dicuntur eſſe media, & nexus, per quos animæ cum primo principio fœliciſsimè copulantur. Mens enim animam format, terminat, eleuat, & cum primo principio coniungit. Apud Ariſtotelem, vt nō reperitur diſtinctio inter animam rationalē, & mentem; itaque neque inter non participatam, & participatam mentem. Simplicius verò cùm hæc etiam tribuat Ariſtoteli, longiſsimè ab eius ſententia recedit.

*De Aeternitate, & æuo.*

## CAP. IX.

DEus, cùm ſit principium eminentiſſimū, & ſupra ens; nec ſemper ens, nec menſura præditus, propriè dici poteſt. Mens verò, quæ Deo ſubiicitur, & eſt ens primum; rectè ſemper ens, & æternitas nuncupatur. Deus itaque eſt ſupra æternitatem, in mente primò refulget æternitas, cui in rebus mobilibus reſpōdet tempus. Vt autem hæc clariùs explicentur; de æternitate, & æuo, ex Academicorum ſententia, aliquid dicamus: qua de re Theologi, Platonici, & Peripatetici vario modo loquuntur. Inquiunt Theologi Deo cōuenire æternitatem, Angelis æuum, quatenus ſunt vitæ immortales, corporibus tempus: ita tamen, vt cœlo cōueniat non æternitas, ſed ſempiternitas quædam: quia ſemper ſeruandum eſt; mortalibus

verò propriè tempus, & propriè menſurari tempore; qua de re multa apud D. Thomam, & alios legi poſſunt. Deſcribitur æternitas à Boetio in 5. de conſolatione proſa ſexta, quod ſit interminabilis vitæ, tota ſimul, & perfecta poſſeſsio. A Plotino verò in lib. de æternitate & tempore; quòd ſit vita infinita, tota ſimul; nam in æternitate nulla conſideratur ſucceſſio, ſed omnia in ea præſentia ſunt; præſentia dico, per momentum æternitatis, vniuerſam aliorum latitudinem indiuiduè includens; adeò, vt ſimul ſit quid indiuiduum, & immenſa extenſio. Caret æternum potentia, vt non ſit; propterea ſoli creatori conuenit. Æuum, dicitur menſurare creaturas; quatenus, nec morti, nec mutationi ſunt obnoxiæ, vt Angelos. Tempus demũ menſurat motum, & res mortales. Ita loquuntur ſcholaſtici Theologi. Platonici inter æuum, & æternitatem non ponũt diſtinctionem; niſi quatenus æternitas eſt nomen abſtractum, diſpoſitionem ſignificans; æuum verò concretum denotans id, quod eſt æternum: αἰὼν enim ſignificat ἀεὶ ὢν, hoc eſt, qđ ſemper eſt; ſemper eſſe ei conuenit, cui verè, & abſolutè conuenit eſſe; huiuſmodi eſt Mens; Mẽti cõuenit itaq; æternitas, & æuũ. Deus eſt ſupra æuũ, & æternitatẽ. Sic Plato in Timæo inquit, æuo, quod cõuenit primę mẽti, tanquã Ideæ, reſpondere in mũdo corporeo tẽpus, vt imaginẽ eius. & quoniã Mens eſt duplex, vna nõ participata, altera participata; ideo duplex

eſt

eſt æternitas, & æuũ; vnũ nõ participatũ, conueniens primæ méti; alterũ participatum, cõueniẽs ſubſequentib. mentibus. Hæc itaq; eſt differentia inter Theologos, & Platonicos. Theologi Deo tribuunt æternitatẽ; Platonici illũ ponũt ſupra æternitatẽ: Theologi diſtinguũt æternitatẽ ab æuo, quod nõ faciunt Platonici; vt patet latiſsimè ex Plotino in libro de æternitate, & tẽpore, & ex Platone in Timęo, dũ æuũ ponit Ideam tẽporis. Ratio primæ differẽtiæ eſt: quia Theologi mentẽ primã nõ ſeiungunt à Deo; ideo Deo eſſe abſolutè, & vitã eminentiſsimam tribuunt, & conſequenter æternitatem: Platonici verò ſeiungunt. Ratio ſecundæ differentiæ eſt: quia cùm Platonici tribuant ſemper eſſe, & æternitatem rei pendenti à primo principio, iam æternitas coincidit cum æuo; & præſertim id faciũt reſpiciendo ad etymologiam, & proprietatem vocis; ad quam reſpexit Plotinus in lib. de æternitate cap. 5. Menti ſuccedit Anima, & præſertim ea Mundi: quæ, vt eleuata, & complicata cũ mente, dicitur complicata cum æuo, & æternitate; & dicitur particeps æternitatis, & æui: conſiderata verò quo ad propriam ſuam naturam, & conditionem; quia ſeipſam mouet, & eſt origo tranſeuntis motus; ideo dicitur eſſe initium temporis. Quod tempus eſt duplex; vel primum, vel pendens à primo: vt etiam duplex eſt motus; vnus primus, & eſt ille, quo anima ſeipſam mouet; alter eſt pendens à pri-

mo,& eſt ille, qui in corporibus recipitur. Animæ conuenit primus motus,& primũ tempus:corporibus verò conuenit tempus ſecundum,& motus ſecundus. Secundus motus,ſecundumque tempus, quo ad eorum vniuerſitatem, conueniunt cœlo; quo verò ad partes, conueniunt rebus mortalibus. Primum tempus, primusque motus, propriè conueniunt animæ rationali; cæteris inferioribus animæ gradibus ſolùm cõuenit portio, & vmbra primi temporis; vt etiam potiùs vmbræ animæ, quàm veræ animæ dici merentur.

*Ariſtotelis ſententia, eiusq́ cum Platonica collatio.*

CAP. X.

ARiſtoteles, quia mentem à Deo nõ ſecernit; ideo Deo conuenire æternitatem, & eſſe æternitatem affirmat:in quo cum Theologis conuenit,& diſſentit à Platone.Inſuper ęternitatem ab æuo non diſtinxit; cõſiderauit enim æuum denotare eſſe ſemper, vt in primo cœli 100. cont.affirmauit; in quo conuenit cum Platone,diſſentit à Theologis: & hoc conſtat præſertim ex 12. Metaphyſic. cont.39. vbi Deo aſſeruit conuenire æuum, & eſſe æuum. Ex his conſtat longè recedere à ſententia Ariſtotelis, & Platonis illos, qui ex eorum opinione ęternitatem ſupra æuum,& ab æuo diſtinctam ponunt: nam Ariſtoteles, & Plato idem ſignificare

care eas voces exiſtimant; Ariſtoteles tamen latiùs ſumpſit nomen æui, quàm Plato: quoniam Plato magis propriè accipiens æuum, ſoli menti conuenire aſſeruit; Ariſtot. verò latiùs nomen æui vſurpans, conſiderauit æuum denotare eſſe ſemper. Et quoniam eſſe ſemper, duobus modis intelligi poteſt; vel abſolutè, vel cum contractione; abſolutè, vt Deus, & intelligentiæ ſemper ſunt; cum contractione, vt mortalia dicuntur eſſe ſemper, hoc eſt per vniuerſum ſuæ vitæ curſum; vt dicimus Alexãdrum ſemper fuiſſe fortunatum, Socratem ſemper fuiſſe probum: ex his ſequitur, duplex dari æuum, vnum in parte, alterum abſolutè. Æuum in parte, quod etiam ætas nũcupatur, conuenit ſingulis mortalibus; vt Alexander toto æuo, hoc eſt toto ſuæ vitæ curſu fuit fortunatus. Æuum abſolutum eſt duplex; vel cũ tempore iunctum, quod cœlo, & mundo conuenit; de quo Ariſt. 2. cœli cont. 17. dixit, Dei opus eſt æternitas; vel ſupra tempus collocatũ: & hoc eſt duplex; vel cum depẽdentia, & conuenit intelligẽtiis ſub Deo poſitis; vel ſine dependentia, & conuenit Deo. Ita hęc explicanda ſunt ex ſententia Ariſtotelis, in quibus ſolùm in modo loquendi differt à Platone; quatenus latiùs accipit nomen æui, & magis cum tempore illud permiſcet, quàm faciat Plato, qui in ſola mente æuum conſiderauit. Inſuper etiam inter ſe diſtinguũtur; quia Plato æuum dixit proportione reſpondere Ideis, & Ideam

illud nuncupauit, cuius tempus eſſet imago: quo loquendi modo Ariſtoteles minimè vtitur. Ac vt clariùs hoc pateat, aduertendum, quòd Æternitas, ſiue Æuum non eſt Idea, ſed Ideis conueniens; non eſt aliquid ex quinque generibus, ſed cunctis commune. & quamuis conueniat cunctis; attamen cum vnitate, ſtatu & identitate maximè eſt cõiunctum. Inſuper, quamuis æuum non ſit Idea, attamen dicitur radix temporis, & cum Idea conueniens; quatenus tempus eius eſt imago, & ab eo fluit: de quo cecinit Boetius:

*Qui tempus ab æuo*
*Ire iubes, ſtabilisq́; manens das cuncta moueri.*

## *De gradibus Entis.*

## CAP. XI.

QVoniam Mens prima abſolutè, & verè eſt ens: & cùm ſit verè ens, dicitur æuum: nam verè ens, & ſemper ens, idẽ eſt, vt inquit Plotinus: propterea ſi ad ens reſpicimus, & gradus eorum, quę ſunt in vniuerſo, numeramus: quinque præſertim, tanquã capita, adinueniemus. Nam primum eſt id, quod eſt ſupra ens, & initium eſt entis: ſub quo mẽs reperitur, vel participata, vel ne, quæ eſt ens ſimpliciter, ens vnum: in tertio gradu eſt anima, in qua ens cũ non ente eſt complicatum; magis tamen eſſe, quàm non eſſe dicitur, adeò vt eſſe quoddam

obſcu-

obſcurũ dici poſsit: in quarto gradu ſunt corpora, & corporea, vt natura, & imitationes Idearum; quæ non verè entia ſunt, & magis ſunt non entia, quàm entia: poſtrema eſt materia quæ infra ens, & verè non ens nuncupatur, & iure quidem: nam eſſentia, & eſſe ad formas pertinet; infra quas materia, & potentia collocatur. Inſuper ea, quæ ſupra animam cogitantur, ſemper quidem ſunt, nunquã fiunt; anima eſt, & fit ſemper; corporea ſemper fiũt, nunquam ſunt; materia ne dum eſſe, immò nec fieri poteſt. Vt multi ſunt gradus entis, ita etiam multi ſunt gradus non entis. Nam primum datur non ens, quia eſt ſupra ens, & præſtantius ente, ex quo non ente omnia fiunt: ſecundo non ens pro alteritate: tertiò pro non vero ente, qualia ſunt corpora: quartò pro verè non ente, quod rerum eſt materia: demum pro nihilo infra materiam collocato. Ex his colligo, quòd cùm ab Ariſtot. materia dicatur per ſe ens, à Platone verè non ens; non propterea verè diſſentiunt; ſed lis eſt in verbis, pendens ex varia entis, vel nõ entis acceptione. Colligo inſuper, quòd leuiter Ariſt. in primo Phyſ. 79. Platonem carpit, quia materiam dixerit non ens, & Parmenidis ſententiam cõmendauerit. Colligo tertiò, quòd cùm Ariſt. in prædicamẽto ſubſtantiæ dixerit, indiuidua eſſe ſubſtantias primas; Plato verò eas, nedum ſubſtantias neget eſſe primas, immò nec verè eſſe affirmet; non propterea verè diſſentiunt.

quoniam inter diuerſa apud eos eſt comparatio: comparat Ariſt. indiuidua cum vniuerſalibus per intellectum abiunctis: cōparat Plato corporea cū his, quæ ex ſui natura ſunt à corpore, & à materia ſoluta. Lis ſolùm eſt in hoc: quia Plato rerum in materia exiſtentium ponit Ideas in prima mēte, quas renuit Ariſt. Inſuper cùm Plato dicat corporea ſemper fieri, nunquam verò eſſe; Ariſtot. in 4. Metaphyſ. diſputet contra hanc ſententiam, manifeſtans hæc corporea etiā manere ſaltē in quali, & in forma, quàuis mutētur in quāto, & in 8. Phyſ. reiiciat eorum ſentētiam, qui corporea eſſe in continuo motu aſſerebant; non propterea in ſententia diſſentiunt: quia Plato ſolùm manifeſtare voluit corporea continenter pendere ab incorporeis, quod etiam aſſeruit Ariſtot. 9. Metaphyſ. 17. inquiens; Si non darentur ſubſtantiæ ſeparatæ, nihil eſſet. Inſuper manifeſtare voluit, quòd ea, quæ conueniunt rebus abiunctis, ſine diuiſione, & extenſione eis conueniunt: quæ verò competunt rebus corporeis, cum extenſione, & ſucceſsione ſunt complicata. Ex quo demum patet, quod quamuis ſubſtantiæ corporeę nunquam eſſe, & ſemper fieri dicantur; non propterea ab Ariſt. hęc ſententia euertitur, dū in prędicamento ſubſtantiæ inquit, proprium eſſe ſubſtantiæ, cùm vna numero ſit, capacem eſſe contrariorum.

*FINIS LIBRI SECVNDI.*

STE-

# STEPHANI THEVPOLI, BENEDICTI F. PATRITII VENETI,

## ACADEMICARVM *Contemplationum,*

## LIBER TERTIVS.

### DE IDEIS.

*An Ideæ ſint.*

### CAP. I.

PLACITA Academicorum eò accuratiùs conſideranda ſunt, quò ſunt de rebus maioris virtutis, & frequentiùs à Peripateticorum principe damnantur, & reiiciũtur: eminẽtiſsimæ virtutis ſunt Ideæ, & frequenter ab Ariſtot. variis argumentis reijciuntur: propterea iurè accuratè ſunt perpendendæ: vbi enim inter Ariſtotelem, & Platonem eſt controuerſia; difficile eſt veritatem conſpicere. De Ideis primò conſiderandum occurrit, an ſint. Academici eas apprimè neceſſarias oſtendunt: Peripatetici eaſdem paruipendunt, & negligunt; ſed leues proculdu-

ſunt Peripateticorum inſtantiæ, firmiſsima ſunt fundamenta Platonis à noſtris Theologis magna ex parte commendata: Propterea Platoni aſſentiendum cẽſeo. Nam ſi ad dependentiam mundi ab opifice conuertimur, inueniemus, non poſſe primam mentẽ mũdi iurè nuncupari parentẽ & artificẽ; niſi ordinis mũdi, & cõtentorũ in eo, in ſe primo cõtineat Ideas. dicimus artificem temerè, & à caſu operari; dum cõficiendi operis rationem, rectamque rationem non poſsideat; quòd primus opifex temerè, & à caſu mundum producat, nemo compos mentis aſſerere audet; Ideas itaq; in ſe continet: & præſertim, quia ſuo eſſe facit omnia; non autem ſuo eſſe omnia faceret, niſi in ſuo eſſe omnia eſſent. Inſuper ſi conſiderabimus opificis mundi cognitionem, idipſum confitebimur: nam de ratione mentis eſt, vt cognoſcat, & operetur cum cognitione; mens prima, cùm ſola abſolutè ſit mens, ſola abſolutè omnia cognoſcit, & per cognitionem operatur: Aſſerere, quòd ſolùm cognoſcat in eminentia, & non diſtinctè, vt aiunt Peripateticis eſt idem, ac ſi diceremus, pictorem formare eanem, cognoſcendo cœlum; vel artificem producere ferrum, cognoſcendo aurum: quod minimè dicendum eſt. Præterea ſi attinentia ad propriè ſumptã prouidentiam conſideramus: percipiem⁹ neceſsitatẽ Idearũ. Nã primi principis maximè ꝓpria eſt prouidẽtia: non ſeruatur prouidẽtia exquiſita, exacta, & diſtincta, ſine

ne exacta & diſtincta cognitione rerũ curãdarũ: nec huiuſmodi cognitio diſtincta in prima mente ſine Ideis ſeruari poteſt: debent itaque dari Ideæ. Quæ etiam lucidiſsimè refulgent, dùm conſideramus in principio ordinis debere ordinem refulgere, in mundo intelligibili debere ſenſibilia contineri; ante formas impuras, & fluentes, debere ſinceram, & ſtabilem formam inueniri. ſine quibus, nec mundi nexus, nec partium eius aſcenſus, & deſcenſus, nec rerũ ſimplex natura rectè ſeruari poteſt. Inter ea etiam, quæ apud nos verſantur, Ideas nobis confirmant certa ſemina rerum, ex diſtinctis rationibus, Ideiſque proficiſcentia; & ea præſertim, quæ ad noſtram ſcientiam, & ad diuerſitatem noſtræ cognitionis, nempe intelligentiæ, & opinionis pertinent; in quibus explicandis accuratiſsimè verſantur Academici. Colligamus itaque dari Ideas, & à Philoſopho rectè ſentiente concedendas eſſe.

*Inuentores Idearum.*

CAP. II.

Cenſent nonnulli Platonem fuiſſe Idearum inuentorem; propterea ab auctore eis nomen tribuentes, Ideas Platonicas appellant: at qui ita ſentiunt, Platoni, & veritati aduerſantur. Platoni primò, quoniam in Sophiſta inuentũ Idearũ non ſuum affirmat, ſed virorum, qui ſapientiã & pietate præſtiterunt; & pro inuiſibili eſſentia pugnarunt: & iurè ſapientia, & pietate præ-

ſtiterunt: quoniam ſine Ideis, nec pietas erga Deum, nec ſapientia ritè ſeruari poteſt. Inſuper etiam aduerſantur veritati; quoniam alij, ante Platonem plurima de Ideis enunciarunt. Aſſerit Diogenes Laertius, Platonem ſumpſiſſe Ideas ab Epicharmo diſcipulo Pythagoræ. At nec Epicharmus fuit inuentor earum; quia Pythagoras, & alij ante eum nouerunt Ideas: & ſi à diſcipulis Pythagoræ Plato eas deſumpſit, cur non potiùs eas didicit à Philolao præceptore ſuo, & Pythagoræ diſcipulo? Pythagoras præſertim Ideas, more ſibi conſueto, per numeros deſignauit: ante Pythagoram Orpheus Ideas nouit, & dixit; Iupiter, Idea omnium: ante Orpheũ ter maximus Mercurius & in Pimandro, & in Aſclepio Ideas manifeſtiſsimè deſignauit: & mundum illum ſpherũ ab Empedocle celebratum, nil aliud fuiſſe putandum eſt, niſi mundum Idealem: adeò, vt vnà cùm ſapientia ortam fuiſſe notitiam Idearũ aſſerere valeamus. Quod Diuus Auguſtinus affirmauit, qui in 7 de Ciuitate Dei, cap. 28. ex ſententia Marci Varronis affirmat, Ideam Mineruæ nomine à Poetis fuiſſe deſignatã; dum aiunt, ex Iouis capite fuiſſe ortam; quaſi Idea & ſapientia in idem veniant, & ſimul orta dicantur. Ac inſuper idem Auguſt. quæſt. 46. præclarè enunciauit, aut nullos ante Platonẽ extitiſſe ſapiẽtes, aut Ideas cognouiſſe: Siquidem tanta vis in Ideis poſita eſt, vt, eis non intellectis, ſapiens quis eſſe nõ poſsit; in qua eadem

dem quæſt. aſſerit; Quis religioſus, aut vera præditus religione, tales Ideas negabit, aut eas non profitebitur? Sed, vt altiùs quoque eleuemur, fateamur Ideas nō eſſe humanum inuẽtum, ſed Dei benignitate fuiſſe hominibus reuelatas. Nam Diuinus legiſlator Moyſes in Geneſi eas in parte expreſsit, dum dixit: Hic eſt liber generationis cœli, & terræ; quando creata ſunt die, quo fecit Deus cœlum, & terram; & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra: omnemque herbam agri, priuſquam germinaret, &c. Virgultum antecedens germina terræ, Ideæ ſunt in Dei mẽte, vt probabiliter ſuſpicatus eſt Philon Iudæus. Lucidiùs tamen eaſdem deſignauit Propheta inquiens; Deus fecit hominẽ ad imaginem ſuã: non enim dixit, fecit hominem imaginem, ſed ad imaginem ſuam; quia primò eſt Deus, ſecundò Idea hominis, tanquam Imago Dei; ad imaginem autem Dei dicitur factus homo. Pariter Ideas includi Diuus Auguſtinus aſſeruit in illis verbis Euangel. Diui Ioann. Quod factum eſt, in ipſo vita erat, &c. vt cumulatè manifeſtauit Geneſis lib. 5. cap. 15. Colligamus itaque, vnà cum diuina, & vera ſapientia ortam eſſe notitiam Idearum.

## *Quid ſint Ideæ.* CAP. III.

IDeæ, omnium conſenſione, ſpecies, & formæ ſunt, vt nomen ipſum manifeſtat; ſed quales ſint huiuſmodi

formæ,& vbi ſint, non conſtat. Exiſtimant nonnulli, eas eſſe puras formas rerum natura conſtantium,ſeiunctas à corporibus,per ſe,ac diuiſim ſeorſum à Diuina mente ſubſiſtentes: & hanc cenſent fuiſſe opinionem Platonis: & id nituntur confirmare per nonnulla verba à Plat.in Parmenide, & in Timæo prolata: ideò & D.Thom.& Magnus Albertus,& Trapezũtius, & alij hanc aſſerunt fuiſſe Platonis ſentẽtiam,ab Ariſtotele accuratiſsimè reiectam: cuius opinionis etiam mentionem fecit Philoponus in primum Poſter. Sed hæc opinio, vt longè abeſt à vero, ita etiam à recta Platonis ſententia: nam manifeſtiſsimè Plato in 7. de R.P. ait Ideam boni regnare in mundo intelligibili. In Timæo affirmat Mundi opificem imitatum fuiſſe ſempiternum exemplum, opificis autem exemplum in mente eius reperitur. Inſuper mundum ſenſibilem affirmat eſſe vnũ omnia continentem, quia ad vnius ſimilitudinem ſit formatus:id autem vnũ,ad cuius ſimilitudinẽ eſt formatus, & omnia continet,proculdubiò eſt mundus Idealis in prima mente refulgẽs. Sed ſuperuacaneũ eſt hac in re pluribus immorari,cùm omnes potiores Platonis ſectatores in hoc conueniant, quòd Ideæ non ſeorſum à diuina mente, ſed in mente diuina ſint collocatę: quæ ſi nonnunquàm à Platone dicuntur formæ puræ,& ſeparatæ; non denotatur tunc, eas eſſe ſeparatas à diuina mente, ſed à rebus corporeis,& materiatis. Nil enim abſur-

abſurdius dici, vel excogitari poteſt, quàm quòd dentur piſcium, ferarũ, & ſimilium puræ, & per ſe ſubſiſtentes eſſentiæ: formæ enim à materia ſeiunctæ intelligunt; ipſe leo, vt ipſe leo eſt, non valet intelligere; alioquin ipſe leo non eſſet. Cùm itaq; Ideæ ſint in diuina mente; non eſt putandum, quòd in ea ſint vt accidentia in ſubiecto, vel vt forma in alia forma, vel vt pars formæ iuncta cũ aliis partibus; ſed ſunt ipſamet eſſentia mentis, vt cætera repræſentans, vt nata imitari, vt cætera omnia tanquam cauſſa includens. Et quamuis re, & ſubſtantia, nec inter ſe, nec à mente ſeiungantur: diſtinguuntur tamen ratione, & inter ſe formaliter; adeò, vt vna verè negetur de altera: non enim ipſe homo eſt ipſe leo, neque opifex ea ratione equũ producit qua hominẽ. Theologi duo Idearum genera in diuina mente cõſiderarunt, duplicemque ſtatuerunt Idealem mundum. Primò enim conſideratur diuina eſſentia, quæ cùm ſit immenſa, innumera offert diuinæ menti; & hoc eſt verè, & abſolutè vniuerſum. Mox conſideratur diuina mens, quæ æterna ſua voluntate dicitur prędeſtinare, & prædefinire ea, quæ ad extra ſunt producenda: & hic eſt mundus intelligibilis prædeſtinatus, ac prædefinitus: qui non eſt vniuerſum abſolutè, ſed vniuerſum eſt, in ordine ad ea, quæ produci debét. Mundus, & Ideæ primi ordinis, primęue conſiderationis, antecedunt voluntatem diuinæ mentis: quæ verò ſunt ſe-

cundi ordinis, ſubſequuntur voluntatem. Ex Platonis ſentẽtia hoc duplex Idearum genus non ponitur; niſi dicamus primum genus cõſiderari eminentiſsimè in Deo, alterum cum formali diſtinctione in mente, quę magis propriè Ideæ nuncupantur: quas definiens dico: Idea eſt exemplar æternum rerũ natura producibilium, in diuina mente collocatum, per quod cuncta à primo opifice prodeuntia ei offeruntur, & producuntur ad extra. Ab Alcinon breuiùs definiebatur, quòd eſſet exẽplar ęternum eorum, quę ſecundùm naturá fiunt: quæ definitio, ex relatione Procli, fuit primò tradita à Zenocrate. Sed ea, quæ à me traditur, cumulatiùs explicat naturam, & vtilitatẽ Idearum. Iurè Idea dicitur exemplar: nam ea tribus modis conſiderari poteſt; primò conſideratur in ſe, & eſt eſſentia; ſecundò conſideratur cum relatione ad diuinam mentem, & eſt eius intelligibile, ſiue intellectio; tertiò referri poteſt ad mundum ſenſibilem, & nuncupatur exemplar. Et quoniam hæc conſideratio eſt nobis familiarior, & notior; ideò pro genere in definitione accipitur. Inſuper in definitione additur, æternum, vt ſecernatur à cæteris artificum exẽplaribus: quæ non propriè, ſed ſimilitudine tantùm dicuntur non nunquam Ideæ: & cùm dicatur æternum, denotatur eſſe aliquid proprium, & verum: nam quod verè eſt, æternum eſt, vt rectè dicebat Plotinus. Additur, ſecũdùm naturam producibi-

ſibilium; vt manifeſtetur, quorum Ideæ ſint: qua de re infrà agam. Additur, in diuina mente: quia, quamuis in vniuerſa mentium latitudine locum habeant Ideæ; attamen propriè, & primò menti non participatæ conueniunt: aliis ſecundariò, & per primam. Demum explicantur duo præcipua munera Idearum: quorum primum eſt, vt ſint intelligibilia primæ mentis, eiuſque cognitio: Aliud eſt externa productio, à quibus duobus muneribus reliqua omnia proficiſcuntur, vel cum eis iunguntur.

*Cui conueniant Ideæ.*

## Cap. IV.

QVoniam Idea eſt pura eſſentia, & forma, quæ verè intelligibile eſſe dicitur; propterea in mente, cuius munus eſt intelligere, debet reperiri; & iurè quidem: nam mens, quæ eminentiſsima eſt, non cum receptione, & perpeſsione: quæ diminutionem præſeferunt, intelligere debet; ſed per eſsētiam propriam, & per ſui in ſemetipſam conuerſionem; adeò, vt in abiunctis idē ſit intelligens, & intelligibile. In vniuerſa latitudine mentium inueniuntur Ideæ, ſeruantes nomen, & conditiones Idearum: hæc tamen eſt differentia, quòd Ideæ in prima mente dicuntur non participatæ, in aliis participatæ: nam participantur ab anima, ſine qua huiuſmodi mentes non reperiuntur. Inſuper, Ideæ

in prima mente ſolùm pendent à Deo; in ſubſequentibus verò pendent à mente prima, & ab Ideis in ea exiſtentibus. Demum in prima mente Ideæ minùs ſunt inter ſe diſtinctæ, in aliis diſtinguuntur magis, ob nexum earum cum anima. Diffunduntur Ideę à prima mente in alias, vt à Sole radij in alias ſtellas: ac etiã vt à Sole per radios effunditur vis illuſtrandi, calefaciendi, cæteraque gignendi, quæ à Sole per lumen fieri dicuntur; ita à non participata mente per Ideas effunditur vis, & facultas in aliarum mentium Ideas conſimilia producendi. Et cùm in ſingulis mẽtibus inſint Ideæ omnes, in ſingulis etiam inuenietur mundus intelligibilis; adeò, quòd tot intelligibiles mũdi ex Ideis conſurgunt, quot ſunt mentes. Extra terminos mẽtis, nõ ampliùs propriè ſumpta Idea locũ habet; ſed dum à mente deſcendimus ad animam, Ideæ in rationes commutantur: nam verè anima eſt ea, quę rationis eſt compos, quæ rationum munere ratiocinatur; & ea, quę mens ſimul, & indiuiduè apprehendit; anima cognoſcit cum diſtinctione, & progreſſu ex vno in aliud: cùm tamen anima redditur compos mentis, ad Ideas conſurgit: & cum eis nectitur, & coniungitur. Sub anima collocatur natura: & quia natura pendet ab anima; ideò in natura reperiuntur veſtigia rationum, quæ ſemina nuncupantur, per quæ proximè gignuntur corporea, materiam includentia: in qua demum materia ea, quæ ex ſemi-

ſeminibus gignuntur, Ideisque proportione reſpondent, nuncupantur imitationes, participationes, proximi materiæ termini, ac demum vmbræ Idearũ. Et quoniam nos in hoc quaſi terræ antro ſumus collocati, in quo ſolæ volitant vmbræ rerum; cûm ea, quę verè ſunt, non cõſpiciamus, has vmbras magnifacimus, hæc verè entia exiſtimamus. Quòd ſi nobis fœlici ſorte contingat, vt munere Philoſophiæ caput animæ ſupra has tenebras eleuemus; tunc has quaſi laruas deſpicientes, eam ſolam verè vitam iudicabimus, quę à craſſo hoc corpore ſoluta eſt: tunc cum Propheta exultantes clamabimus; Dies vnus in atriis tuis Domine, pluſquam mille aliorum anni.

*Quomodo in mente ſe habeant, & conſurgant Ideæ.*

## Cap. V.

IN ordine vniuerſi finis eſt ipſum vnum, quod ſupremũ eſt; ſub quo fine cauſſa efficiens collocatur. Et quoniam exemplar dirigit artificẽ ad finem; propterea Idea mediare dicitur inter finem, & opificem: eſt eminentior opifice, humilior fine: & conuenienter dici poteſt ſapientia opificis, rectaque ratio eius, per quam efficit opus ſuo fini congruens. Conſideratur opifex in primo ſigno, vt eſſentia eſt: mox conſideratur, vt cuncta intelligens, & producere volens; in quo ſecundo ſigno cõſurgunt Ideę.

Hoc denotauit Plotinus Enneade ſexta lib. 7. inquiens; Mens ſibi comparauit ſpectacula boniformia, cùm primùm contemplata eſt ipſam boni naturam: influxit nanque in mentem ipſum bonum, nō omnino, ſicut ibi erat; ſed ſicut ipſa mens accipit. Ex quo conſtat, ad quod genus cauſſæ redigatur Idea: nam ea abſolutè forma eſt, cùm ſit pura, & eminens eſſentia rei; at in ordine, & modo operandi, ad cauſſam efficientem redigitur: eſt enim ſapientia artificis, cuius vmbra eſt recta ratio humanarum artium, per quam artifices diriguntur; nō autem ita eſt rerum forma, vt proximè eas formet, & conſtituat. Hinc patet inanes eſſe plurimas Ariſt. contra Ideas rationes; veluti dum inquit, non dari hominem ſine his carnibus, & oſsibus; inſuper, dum aſſerit, ſi vna omnium eſſet Idea, omnes eſſent vnus homo; & aliæ ſimiles: quæ omnes omni carent vi aduerſus propriam Idearum aſſumptionem, vt ex ſe cōſtat. Inſuper ex dictis conſpicuum eſt, cur à Platonicis Idea redigatur; non ad concauſſas, qualis eſt materia, & forma; ſed ad cauſſas. Nam cauſſæ illæ dicuntur, quæ abſolutæ, liberæ, & dominæ ſunt; qualis eſt finis, & efficiens; inter quas mediare Ideam oſtēſum eſt. Demum patet ex Platonis ſententia, ob Ideas genera cauſſarum nō reddi plura, quàm quatuor; vt perperam multi ex ſectatoribus Ariſtotelis tribuunt Platoni. Nam, vt recte in 13. Metaph. dixit Syrianus, Idea varia conſideratione

tione

tione eſt cauſſa in triplici genere: vt forma, vt finis, & vt efficiens: præſertim tamen efficiens eſt, ſi reſpicimus ad rationem, & modum, per quem opus à cauſſa pendet; ad quem reſpicere debemus, dum numeramus genera cauſſarum. Cõſtat itaque Ideam præſertim ad cauſſam efficientem redigi; quæ cauſſa efficiens à Platone ſola, & abſolutè cauſſa nuncupatur, vt in Philebo manifeſtauit; nec propterea ab Ariſt. diſſentit, niſi in modo loquendi. Vt verò appareat, quomodo in prima mente conſurgant Ideæ; conſiderandum eſt, quòd natura primi entis, quatenus proximè ab ipſo vno pendet, eatenus vnitatibus, quaſi ſeminibus fœcunda Ideas parit; easque deinceps numeris maioribus, minoribúſve componit: nam quod proximè ab vno pendet, neceſſe eſt, vt ſit prima ſui origine multiplex; alioquin non recederet ab vno: nõ tamen ita eſt multiplex, vt in eo vnum etiam nõ refulgeat: nam ibi reperitur, & vnum ante Ideas, ex quo conſurgũt numeri Ideas conſtituentes; & vnũ poſt Ideas ex vnitatibus conſurgens; adeò vt Idea quælibet, ſit quid vnum, multitudinis neceſſariò particeps. Et propterea Ideę omnes, & vniformes, & boniformes, & demum pulchriformes eſſe dicuntur. Nec horũ dantur in mente propriè Ideæ, cùm ſint communia initia, & vires omnium Idearum, effuſæ per omnes, quarum poſtrema eſt pulchritudo; quæ eſt ſplendor boni per Ideas effuſi; Ideo in eo intelligibili

mundo duo conſiderantur termini, vnitas, & pulchritudo: Vnitas eſt terminus ſupremus, tanquam caput ſubſequentium: Pulchritudo eſt terminus poſtremus, tanquam fulgor mediorum poſtremò conſurgens.

*Conuenientia, & Differentia Idearum.*

## Cap. VI.

Quoniam in mente & vnum, & multitudo, identitas, ac alteritas inueniuntur; propterea etiam Ideæ inter ſe cõueniunt, & diſtinguuntur. Conueniunt primò, ratione initij, à quo pendent; omnes enim fluunt ab vno: conueniunt ſecundò, ratione mentis; omnes enim in mente reperiuntur: conueniunt tertiò, ratione finis, & vſuum, quos præbent; omnes enim cõſimiles præbent vſus: quartò cõueniunt Ideę, quia à ſola mente exactè apprehenduntur; ab anima verò ſolùm eatenus attinguntur, quatenus mente participat, & cùm ea iungitur: Demum conueniunt, quoniam quælibet Idea eſt eſſentia viua, intelligentia, intelligibilis, verè ens, forma, & actus virtute imitabili præditus. Cùm autẽ Idea omnis ſit imitabilis, dum exactè imitatur, recteque ſine impedimento in materia exprimitur, pulchritudo conſurgit; dum contrà, deformitas: nam pulchritudo in corporibus, eſt exacta Ideæ imitatio, ac ſimilitudo, adeò, vt, ſubtracta materia, ad Ideã eleuemur. Ex quo conſtat, veram pulchritudinem

dinem nõn ſenſu, ſed mente cognoſci; & vmbram pulchritudinis eſſe natam nos eleuare à ſenſu ad mentem: materiam verò eſſe originem deformitatis. Dum dicimus Ideas communicari, vel participari; non eſt putandum corporeo modo id fieri, & per partes, & cum diminutione; ſed modo incorporeo: non ſecùs ac à ſenſibili ſua actio communicatur ſenſibus, & à luce lumen perſpicuo. Diſtinguuntur Ideæ inter ſe, non ſola noſtra cogitatione; ſed ex natura rei, & formaliter: quod ex eo maximè patet; quoniam ordo graduum, & participationum inde pendentium, non ex caſu, fortuitóve concurſu; ſed ex originalium formarum diſtinctione pendet. In mente ita diſtinguuntur Ideæ inter ſe, vt in ſemine vis formandi caput à virtute formandi manum; & in anima ratio intelligendi leonem à ratione intelligendi ceruum. In prima tamen mente nõ ſecùs ſunt ſimul Ideæ diuerſæ, ac in Sole ſint ſimul diuerſi radij, in cẽtro circuli variæ lineę. Et quemadmodum lineæ, & radij; quò magis diſtant à centro, vel à Sole; magis quoque diſtant inter ſe: ita ſenſim magis diſtinguuntur Ideæ, quò longiùs à mente recedunt; adeò vt demum in materia etiam magnitudine, & loco inter ſe diſtinguantur. Ariſt. in 12. Metaph. ob ordinem vniuerſi, etiam in Duce, & Principe ordinem conſiderauit: at ordo Peripateticus eſt ordo eminentiæ, hic verò formalis.

*Quorum non ſint Ideæ.*

CAP. VII.

Voniam nil ſuperuacaneum eſt in vniuerſo, & præſertim in mundo intelligibili; ac multorum inutiles prorſus eſſent Ideæ: propterea non omnium, ſed eorum tãtùm, quibus conueniunt, in diuina mente reperiuntur Ideæ. Primò, in ea non ineſt Idea ſuimet; tum quia nõ ſe producit; tum inſuper, quia non ſimul eidem in eodem duo conueniunt modi, quibus ſit. Dicitur tamen prima Mens, Idea omnium, vt cecinit Orpheus: & aliqua ratione dicitur Idea participatæ mentis, animæ rationalis, & naturæ; quatenus hæc omnia ſunt quoddam vniuerſum, vmbra, & imitatio primæ mentis, & mundi intelligibilis eius. Inſuper ea, quæ nata ſunt effici, vel per naturam, vel per artem efficiuntur: Si per artem, dubium eſt, an eorũ ſint Ideæ. Plato in 10. de R.P. etiam horum Ideas videtur ponere, cùm dicat, differens de Ideis; Deum vnicum conſtituiſſe lectum, & propterea vnius rei vnicam eſſe Ideam. Nec ſat eſt, ſi dicas de lecto fuiſſe loquutum gratia exẽpli; vt pateret, ita ſe habere de rebus phyſicis. Nam pariter eius ſententia fuiſſet conſpicua, ſi de homine, vel de leone eam protuliſſet. Propterea dicamus, eorum, quæ arte conſtant, partim eſſe, partim non eſſe Ideas: non eſſe quidem; quatenus ea proximè à mente non fiunt: eſſe verò, quatenus conſtantia arte, ſunt

ſunt imitationes eorum, quę natura conſtant; Ars enim imitatur naturam; & propterea cùm dentur Ideæ eorũ, quæ natura conſtant, in virtute etiam dantur Ideæ conſtantium arte. Inſuper, vt docet Plotinus in lib. de Ideis cap. 11. Artificioſa pendent à rationibus, numeris, & menſuris animæ rationalis; cuius cùm detur Idea, etiam in ea in virtute continentur Ideę arte conſtantium: propriè itaque horum nõ eſt Idea, modo tamen aliquo etiam eorum eſt. Inſuper ea, quæ natura producuntur, vel ſunt accidentia, vel ſubſtantiæ. Ariſtot. tribuit Platoni in primo Metaph. 29. quòd accidentium non poſuerit Ideas: quod tamen abſolutè verum non eſt: nam multorum, quæ apud nos accidentia ſunt, in prima mente, ex Platonis ſententia, reperiuntur Ideæ; vt Syrianus in 12. Metaph. Plotinus in lib. de Ideis cap. 10. aliique inſignes Platonici manifeſtarunt. Non tamen omnium accidentiũ ſunt Ideæ; vt proprietatum Ideæ non ſunt, veluti riſibilitatis, & ſimilium: ratio eſt, quoniam huiuſmodi proprietates pẽdent ab Idea eius, cuius ſunt proprietates; namque dans formam, dicitur tradere etiam ea, quæ per naturam ſequũtur formam. Pari ratione multorum accidentium non ſunt Ideæ, quoniam rediguntur ad Ideas ſubſtantiæ, cui conueniunt, & à qua pendent; vt caliditatis ad Ideam ignis; ſecundæ autem qualitates ex primis conſurgunt. At quorundam accidentium, & præſertim eorum, quæ

præcipua ſunt, hominem perficiunt, nec ex hominis generatione conſurgunt, dátur Ideę; vt ſapientiæ, iuſtitiæ, temperátiæ, & ſimilium: Vt in Phædro manifeſtauit Plato, dum aſſeruit; animas ſurſum ductas conſpicere ipſam iuſtitiam, ipſam temperantiam, ipſam ſcientiam, horum tamen Ideæ in diuina mente accidentia non ſunt. Neq; eſſet à Platonicis fundamentis alienum aſſerere, nō ita dari Ideam ſapientiæ, & virtutū in Diuina mente, vt dantur Ideæ aliarum rerum; nam Idea ſapientiæ eſt ipſamet ſapientia diuinæ mentis, quæ eſt ſapientia, vt eſt Idea omnium. In ſapientia, ex ſententia Platonis, eminenter continetur prudentia; quæ prudentia, ex eiuſdem ſententia, eſt virtus omnis, Sic itaque modo quodam, at non ita, vt aliorum, in Diuina mēte reperitur Idea ſapientiæ, & virtutum. Relatorum quoque in Dei mente, vt ait Alcinous, non ſunt Ideæ, qua de re eſt dubitatio; quoniá frequenter fit mentio Ideæ æqualitatis, Ideæ ſimilitudinis, vt exactè æquale, & ſimile denotetur: Propterea Ariſtot. in 13. Metaph. cap. 4. obiicit Platoni, quòd horum ponat Ideas, cùm tamē horum nec quidem vnū genus ſit. Syrianus, qui librum illum propterea expoſuit, vt Platonis ſententiam de Ideis à calumniis Ariſtot. vindicaret, inquit, duplicem eſſe relationem; vnam, quæ non ſit ſubſtantia; alteram, quæ ſubſtantia ſit: prima diuinæ menti non conuenit; altera conuenit, ne dum ex ſententia

Plato-

Platonis, verùm etiam ex ſentẽtia Ariſtotelis. Sic aſſerit ſimilitudinis, æqualitatis, diuerſitatis dari Ideas: quoniam res per alicuius Ideæ participationem ſimiles, & æquales conſtituuntur. Sed, vt clariùs dubitatio è medio tollatur, dicamus relatorum non eſſe Ideam, quatenus in relatione conſiſtũt; ſed eorum eſſe Ideam ratione alicuius abſoluti, quo innituntur, & in quo poſita ſunt. Addamus inſuper de æqualitate, diuerſitate, & ſimilitudine loquendo, non propriè eorum eſſe Ideam; ſed redigi ad ea, quæ genera rerum dicta ſunt, népe ad identitatem, & alteritatem. Secùs itaque horum dantur Ideæ, quàm aliorum, quibus magis propriè conueniunt. Subſtantiarum itaque præſertim ſunt Ideæ. Verùm ſubſtantiæ adhuc ſunt duplices, intelligibiles, & ſenſibiles: de intelligibilibus, vt de mentibus ſub prima collocatis, eſt dubitatio, vtrum earum ſint Ideæ. Numenius, Cronius, & Amelius, id affirmant; Porphyrius id negat: & proculdubio Porphyrij ſententia magis eſt approbanda; quoniam ſubſtantiæ intelligibiles in ſe habent rerum Ideas, non autem valent habere Ideas ſui. Inſuper materia dicitur ſinus informis, natus Ideis participare; at non recipiuntur in materia ſubſtãtiæ intelligibiles; ſed prima & ſuprema omnium formarum, quæ in materia modo aliquo recipiuntur, anima eſt; ideo primò animæ, mox aliarum corporatarũ formarum Ideæ ſunt. Non itaque mentium

ſunt Ideæ; ſed ſolùm ſimilitudine quadam dicere poſſumus mentem primam eſſe Ideam ſubſequentium; quatenus mentium omnium caput, & princeps, & veluti exemplar, ea eſt.

*Vtrum mathematicarum formarum dentur Ideæ.*

## Cap. VIII.

Offertur hoc in loco nobis occaſio pulchræ conſiderationis; & eſt, vtrum mathematicarum formarum ſiue ad Arithmeticum, ſiue ad Geometram pertinentium, dentur Ideæ, vel ne. Et iurè de his ambigere cogimur: quoniam ex vna parte apparet, eorum non dari Ideas, cùm Ideæ ſint ſubſtantiæ, hæc autem ſunt vilia accidentia. Confirmatur; quoniam Ariſt. in 1. de moribus cap. 7. aſſeruit Platonem non poſuiſſe Ideam numerorum, quia in numeris reperitur ordo, & prius ac poſterius: cùm autem numeri principatum obtineant inter conſiderata à mathematico, & Arithmeticam mathematicarum primam conſtituant; ſi eorum non dantur Ideę, longè minùs erunt aliorum; cùm Ideæ ſint formæ quædam primæ, eorum præſertim, quæ apud nos prima ſunt. Ex aduerſo Proclus inter Platonicos nemini ſecundus, in primum Euclidis manifeſtè aſſerit, rationibusque confirmat, rerum mathematicarum dari Ideas; & iurè quidem: niſi enim daretur Idea recti, Idea circuli, Idea lineæ: hæc nullibi

nullibi inuenirentur, & euaneſcerent mathematicæ ſcientiæ; cùm in materia nec rectum ſine obliquitate, nec circulus exactè rotũdus, nec linea ſine latitudine inueniatur. Propterea dicebat Plato, dum Mathematicus, gratia exempli, ducit lineam in puluere, non de ea oſtenſiones format; ſed de illa, quæ in animæ eſſentia eſt inſerta, & in virtutem imaginandi imaginem promit. Simplicius in tertium de anima frequenter indicat mathematicorũ dari Ideas; & à rationalibus Ideis in animæ eſſentia inſertis, inquit exprimi in phantaſiam veſtigia, & imagines earum; præcedente tamen excitatione ab externis ſenſibilibus facta. Inſuper inquit communes has vulgò mathematicas nuncupatas, re vera ſcientias non eſſe, vt etiam affirmauit Plato in calce ſexti de R.P. Et ratio eſt, quoniam minimè ad rationales Ideas eleuantur, ſed ſolùm in illis imaginibus verſantur. Et quamuis illæ imagines in phantaſiam ab anima rationali expreſſæ ſint, non autem ex ſenſibilibus externis depromptæ; attamen mathematicæ nuncupantur ſcientiæ ex abſtractione, quaſi ſint de rebus per animã à ſenſibilibus corporibus abiunctis; quoniam illæ imagines ſunt ſimiles formis in materia exiſtentibus, adeò vt ex illis deprompte eſſe videantur. Quæ itaque communi voce mathematicæ dicuntur, & in dictis imaginibus verſantur; nec ſciẽtiæ ſunt, nec philoſophiæ pars, immò nec re vera mathematicæ. Si quis autẽ

imaginibus non cōtentus, ad rationales Ideas aſcenderit, quod Pythagoræ contigit; is verè mathematicus cenſendus erit, & eius mathematica re vera erit ſciētia, & pars philoſophię: quod indicauit Plato in ſexto de R. P. inquiens, mathematica iuncta cū ſuis principiis ſcibilia eſſe. De his cumulatè Simplicius loquitur in tertium de anima in comment. 11. & 34. Affirmant itaque potiores Platonici, immò ipſemet Plato, mathematicorum dari Ideas, quæ ſubſtantię ſint, & principia imaginum, in quibus verſantur vulgares mathematici. Ex aduerſo tamen eas non dari, priùs indicauimus. Propterea res eſt ſatis dubia, & à nemine hactenus cumulatè explicata. Nitar tamē ego ex Platonicis regulis, & principiis cōſpicuā reſolutionē elicere. Aſſero itaq; ex Platonis ſententia, ea quę tribuūtur his formarū vmbris in materia exiſtentib. reſpondere Ideis, vt principiis earū. Aſſerit frequēter Plato, & ante Platonem affirmauit Pythagoras, Phyſica reſolui in Geometrica, tanquā in principia; & Geometrica in Arithmetica; adeò vt numeri ſint prima principia omniū: quæ cū proferātur de reb. in materia exiſtentibus, longè priùs de earū Ideis eſſe vera putandū eſt. Et quoniā Phyſicarū formarū ꝓpriè ſunt Ideę, ideo cogimur fateri mathematicorū nō propriè Ideas eſſe, ſed quæ eorū communiter nuncupātur Ideę, eſſe initia potiùs earū Idearū, quę ꝓpriè Ideæ nūcupantur. Hoc autem, quod dixi, eſſe verum, ex eo maximè

pateti

patet; quia Ideas omnes eſſe numeros, & ex ſibi conuenientibus vnitatibus cõſurgere, cùm Pythagoras, tum Plato affirmant. Dicimus tamen mathematicorum dari Ideas, quatenus intelligibiles illi numeri ſunt principia, conditio, natura, & terminus omnium Idearum: & propterea valent Ideæ imagines mathematicorum in phantaſiam expromere. Ideo rectè dicimus omnia certis conſtare numeris. Patet itaque, quid ſit dicendum de numerorũ Ideis. Loquendo verò de geometricis figuris, & magnitudinibus, aſſero pariter earum propriè ſumptas Ideas non dari; conuenire tamen eis Ideas duplici ratione: primò, quia in numeros reſoluuntur, & eorum eſſentia numeri ſunt: Idea autem ad eſſentiam pertinet: ideo Ariſtoteles in 3. de Anima cont. 11. loquens de eſſentia recti, dixit ex ſententia Platonis, & Pythagoræ; Sit nanque dualitas. Inſuper latiùs, & lucidiùs in ſeptimo Metaphyſic. 38. manifeſtat ex ſententia Platonis numeros eſſe eſſentiam linearum, cæterarumq; magnitudinum. Pręterea huiuſmodi magnitudinibus conueniunt latè ſumptę Ideæ, ratione infiniti, & termini, quæ ſunt communia principia Idearum; munere quorum valet anima conſimiles imagines expromere in phantaſiam. Patet itaque, quomodo mathematicorum ſint, & non ſint Ideæ: nam ita ſunt, vt potiùs principia Idearũ, quàm Ideæ nuncupari mereantur: ideo à Platone in calce ſexti de R. P. nomine principij

fuerunt deſignatæ. Conſtat inſuper, quomodo eorũ Ideæ accidentia non ſint, ſed ſubſtantiæ; quomodo etiam phyſica in mathematica dicantur reſolui; & demum, quomodo Ariſtoteles non iniuria dixerit Platonem non poſuiſſe Ideam numerorum, quia in numeris reperitur prius & poſterius: non enim poſuit Plato ita Ideam numerorum, vt omnium eſſet Idea vna, ſed diſtinctę ſunt diuerſarum ſpecierum numeri; & ita diſtinctæ non propriè ſunt Ideæ, ſed natura, & conditio cæterarum Idearum. Sed non leuis ſe nobis offert dubitatio: quia ſi in rebus corporeis mathematica ſunt poſteriora phyſicis, & ſunt accidentia; quomodo in mũdo intelligibili, & in Ideis horum exemplaribus, ſe habet econtra? Ad hoc dico, in rebus corporeis poſteriora eſſe, & accidentia; non ea, quæ primò reſpondent Ideis mathematicorum, ſed ſolùm externas eorum vmbras: quæ verò primò reſpondent Ideis mathematicorum, ſunt ſubſtantiæ, & naturæ rerum, conuenientibus numeris abſolutæ; munere quarum dicimus mathematica nos ad di diuina eleuare, & phyſica in mathematica reſolui.

*Quorum ſint Ideæ.*

CAP. IX.

EX hactenus dictis manifeſtè colligitur, Ideas propriè, & pręſertim eſſe ſubſtantiarũ ſenſibilium: quæ cũ diuidantur in materiam, formam, &

& compoſitum, materiæ non eſt Idea, cùm ſit exemplar diuinitatis expers, & ſinus informis natus participare Ideis. Inſuper compoſiti nō eſt Idea, quoniam compoſitum materiam includit; quæ materia, cùm non ſit pars eſſentię, etiam non poteſt eſſe pars eius, cuius eſt Idea. Remanet itaque, vt ſolius formæ ſit Idea: & quoniam forma eſt id, quod eſt compoſitum; ideo hac ratione aſſerimus dari Ideam hominis, & aliorum. Cùm autem Idea ſit formæ, adhuc forma triplex eſt; vel indiuidua, vel in ſpecie, vel in genere ſumpta. Generum nōn ſunt Ideæ: quoniam Idea eſt quid completum, & perfectum: genera carent poſtrema perfectione. Indiuiduorum etiam non ſunt Ideæ; quoniam omnia in vna natura, & vna eſſentia conueniunt, cui reſpondent Ideæ. Specierum itaque ſolùm Ideæ ſunt, vt in 10. de R.P. exemplo lecti cumulatiſsimè demonſtrauit Plato. Neque aſſentiendum eſt Marſilio, viro alioquin doctiſsimo, qui nonnunquam cenſuit cū Platone, ſingularum animarum ratione prædita-rum diſtinctas eſſe Ideas; adeò, vt tot ſint earum Ideæ, quot ſunt numero animæ. Quæ ſententia manifeſtiſsimè reiicitur per rationem, qua vſus eſt Plato in 10. de R.P. ad oſtendendum vnius ſpeciei vnicam eſſe Ideam. Cū itaque formæ in ſpecie cōſideratæ Idea ſit, huiuſmodi forma adhuc duplex eſt; vel enim gignitur ex putri, vt vermes; vel ex ſemine: ſi ex putri, ei non conuenit Idea: nam quæ ex putri

fiunt, non primò, & per ſe; ſed potiùs per quandam cõſecutionem fiunt, & modo quodam ex euentu; quorum Ideæ non ſunt. Hinc fallitur Auer. in 12. Metaph. 18. inquiens, Platonem ponentem Ideas reſpexiſſe ad eas menſuras, quæ in materia putri reperiuntur; & propterea à longè conſpexiſſe veritatem. At re vera ipſe magis à longè conſpexit ſententiam Platonis, cùm Plato genitorum ex putri non ponat Ideam. Inſuper viuentia, quæ ex ſemine fiunt, adhuc ſunt duplicia: vel enim fiunt à ſimili, vt homo ab homine; vel oriuntur ex nexu animalium diuerſæ ſpeciei, vt mulus, & lyciſca: illorum ſunt Ideæ, horum verò minimè, cùm ex præcipua intentione agentis non fiant; lupus enim lupum generare intendit: hæ tamen formæ continentur in virtute Idearum illorum animalium, à quibus producuntur. Id ipſum eſt dicẽdum de Plantis, quæ per inſertionem ſurculorum ex nexu plantarum diuerſæ ſpeciei conſtituuntur; nec non de illis, quarum vna in altera, & ex altera oritur: nam, vt inquit Syrianus in 13. Mrtaph. ſunt hæc omnia poſteriùs genita, & aduentitia, & non ſolius naturæ opera, nec omnino ſecundùm ſuas rationes procedentis; ſed veluti iniuria affectæ, & fruſtratæ, ſeu ſuſpenſæ, & laborare coactæ. Prætereà partium quoque non dãtur Ideæ; partes enim in Idea totius indiuiduè continetur. Demũ mali, priuationũ, negationũ, ſecundarum intentionum nõ ſunt

Ideæ:

Ideę: Idea enim eſt forma, & verè forma; malũ, & priuationes ſunt non entia; ſecundæ intentiones, ſi quid veri, & firmi includunt, ex primis habent. Patet itaq; ex his, quorũ non ſint, & quorum ſint Ideæ. Non me latet Scotum, & alios nõnullos ex Scholaſticis Theologis, longè plurium in Deo ponere Ideas: at ego Platonem ſum imitatus. Verùm nõ leuis oritur dubitatio: quia ſi mens per Ideas cætera cognoſcit, ſi nõ omniũ in ea sũt Ideę, nõ itaq; cognoſcet omnia; & conſequenter non omnia erunt ei curæ. Præterea, ſi multorum non dantur Ideę, quorum tamen homo ſcientiam habet, & quorũ dantur definitiones; nõ itaq; pro ſcientia, & pro definitione neceſſariæ erunt: cuius oppoſitum dicit Plato & in Timæo, & in 6. de R.P. & in Epiſtolis. Ad hæc dicendum, quòd quemadmodũ in generatione cætera omnia, quorũ nõ ſunt Ideę, pendẽt ab eis, quorũ ſunt Ideæ: vel ad ea modo aliquo ſeſe habent; ita de cognitione ſe habere putãdũ eſt: ea enim quorũ nõ ſunt Ideæ, cognoſcuntur per Ideas aliorũ; veluti partes cognoſcũtur per Ideã totius; artificialia per Ideas naturalium, quorũ ſunt imitationes; vel per Ideam animæ rationalis, in cuius numeris, & rationibus, tanquã in principiis, omnia arte conſtantia continẽtur; proprietates cognoſcuntur per Ideam eius, cuius ſunt proprietates; cætera accidentia ex notitia Ideæ rei, cui accidunt, & à qua pendent; relationes cognoſcuntur per fundamenta;

malum, vt malum, eſt non ens, & receſſus ab ente, & propterea non intelligibile; cognoſcitur tamen per Ideam entis, à quo recedit; indiuidua cognoſcuntur per Ideam ſpeciei: vt enim per Ideam vnam ſpeciei multa indiuidua gignuntur, ita etiam per Ideam vnam ſingula cognoſcuntur. Ideò rectè dicebat Simpl. in 2. de anima oculum per vnam albedinis rationem iudicare albedines omnes. Materia demũ intelligibilis non eſt, cùm nõ ſit forma; cognoſcitur tamen à diuina mente per id, quod in ea modus materiæ, & infinitum eſſe dicitur: Inſuper cognoſcitur per notitiam Idearum, quarum participationis eſt ſinus, vel locus. Ideo rectè Ariſtoteles quoque aſſerit, materiam per ſe non eſſe natam intelligi.

## *Quos vſus præbeant Ideæ.*

## Cap. X.

Vt præclaræ, & eminentiſsimæ ſunt Ideæ; ita plurimas, & eximias præbent vtilitates: quæ omnes in tres gradus diſtribuuntur. Primus pertinet ad mentem, ſecundus ad ordinem rerum, poſtremus ad hominem. Si ad primum conuertimur, conducunt Ideæ ad mentis cognitionem, & functiones munerum eius. Mens enim in ſe conuerſa, per Ideas cognoſcit omnia; cognoſcens producit; productaque curat, & ſeruat: demptis Ideis, nec de cognitione diuinæ mentis, nec de rerum ab ea dependentia,

tia,

tia, nec de prouidentia rectè ſentire valemus; vt Epicuro, & Peripateticis contigit. Dum cõſideramus vtilitates pertinentes ad ſecundum gradum, inueniemus fatum, & leges ab Ideis duci: cùm enim in natura ſit conſtans, & certus ordo, non caſu ei conueniens; debet ab ordine aliquo primo, firmo, & conſtanti pendere; huiuſmodi eſt ordo Idearum in prima mẽte. Inſuper conferunt Ideæ ad nexum rerum pendẽtium ab eis; ad aſcenſum, & deſcenſum graduum naturæ; ac conſequenter ad antipathiam, & ſympathiam partium Mundi; quæ non ſine illuſtri admiratione à nobis frequenter cõſpicitur; ex qua ſympathia ducit ortum Magia naturalis, apud Ægyptios, priſcosque omnes ſapientes ſummopere commendata. Præterea conferunt Ideę ad rerum generationem: non enim ſemina gignerẽt animalia, niſi vim formandi includerent; eam non includerent, niſi reciperent ab anima; ab anima eas recipere non poſſent, niſi in ea continerentur; non continerentur, niſi eas reciperet à mente munere Idearum, mens demum ab ipſo vño Idearum capite. Accedit, quòd initia rerũ mortalium prima debent eſſe æterna, alioquin nõ eſſent initia; non autem darentur propria rerum principia æterna, niſi darentur Ideæ. Inſuper conducunt Ideæ, vt res, quæ in materia ſunt vmbræ, alicubi verè ſint; quæ in materia fluunt, alicubi firmæ permaneant; quæ cum corpore ſolùm ſunt ſenſibiles, alicubi ſint in-

telligibiles;quę cum materia carent perfectione, per aliquid abſoluantur, & perficiantur. Demum ſi ad tertium gradum, nempe ad hominem conuertimur, plurimas ex Ideis in eo refulgere vtilitates conſpiciemus: conducunt enim ad eius ſcientiam, vt in proprio loco apparebit; nec valeret homo intelligendo attingere eſſentias rerum, niſi in eius anima per rationes Ideis reſpondentes eſſent inſertæ; ſenſibus enim ſola externa accidentia offeruntur. Ariſt. cenſet per ſola vniuerſalia, quæ ſunt communes notiones, poſſe acquiri ſcientias. Plato eas communes notiones non renuit, immò neceſſarias iudicat pro ſcientia rerum; in eis tamen nō ſcientiam, ſed opinionem potiùs poſitam eſſe affirmat: niſi enim animus per rationes ad Ideas eleuetur, & cum mente iungatur, nec propriè ſcire, nec intelligere dicitur; ſed ſolum rectè, vel perperam opinari. Ex quo nexu animæ cum mente, & Ideis pendet, quòd homo contemplationi deditus, dominatur, & imperat corpori, ne dum ſuo, verùm etiam cæterorum natura conſtantium. Demum ex rationum, Idearumque ſerie, ortum in homine ducit Diuinatio, & Prophetia: adeò, vt mirum videri non debeat, quòd dicitur à Plotino, intellectum contemplantis hominis, quamuis videatur eſſe in Oriente, tamen conſpicere poſſe ea, quæ fiunt in Occidente; & cùm ſit in vno loco, mirabiliter operari poſſe in alio plurimùm diſtante; ac inſuper

ſuper ſua cogitatione alios mouere. Homo enim, dum verè contemplatur, iungitur cum ſuo principio, in eoque per animam reperitur; in quo non diſtant, ſed eminenter iuncta ſunt ea, quę apud nos diſtare videntur; adeo, vt per cauſſas ea videat, quæ aliis in effectis conſpicere vix datum eſt.

*An Ariſtoteles in diſputatione de Ideis, cum Platone debeat conciliari.*

## Cap. XI.

Simplicius, Theophraſtus, Priſcianus, Lydus, Boetius, Ioannes Picus, & alij nonnulli viri celebres inquiunt, Ariſt. à Platone de Ideis loquente re vera nō diſſentire; ſed ſolùm eſſe litem in verbis: quatenus Ariſt. vel diſputat cōtra fatuam de Ideis ſententiam, quòd Ideæ ſint formæ rerum naturalium abiunctæ, & ſeorſum à mente per ſe ſubſiſtentes: vel quatenus, quas Plato cenſet poſſe dici Ideas, & eodem nomine cum participantibus deſignari; Ariſt. magis ad terminorū proprietates reſpiciens, eodem nomine appellandas non cenſet; ſolum enim leonem nuncupat illum, qui ex carnibus, & oſsibus conſtans, pelle, & pilis tegitur. Re vera tamen cōuenire eos affirmāt; quoniam eminens cōtinentia Peripateticorū, nil aliud eſt, niſi Idealis mundus Academicorum. Rem hanc ita ſeſe habere, ex eo confirmari poteſt; quoniam fundamētum Idearum

eſt mens diuina, vt omnia includens, vt omnia diuinæ mentis offerens, vt omnium principium, vt nata imitari, & participari: quæ omnia à Peripatetico conceduntur, & propterea cogitur concedere Ideas. Hinc Ariſt. de Ideis mentionem nõnunquam facit: nam in 2. Phyſic. enumerans attinentia ad formam, inquit; Forma & Idea. Ex aduerſo alij eos eſſe diſcordes affirmant: & in ea diſcordia nõnulli tuentur partes Ariſt. vt Alex. Pomponatius; alij Platonis, vt Syrianus, & multi ex Platonicis. Philopdnus hac de re non ſibi conſtat; in phyſicis nititur nonnunquam eos conciliare, in diſputationibus contra Proclum lib. 2. ait eos conciliari non poſſe; adeò, vt magna hac de re ſit lis. Proculdubiò ſummoperè falluntur, qui eos idem ſentire affirmant: nulla enim alia de re accuratiùs Ariſt. contra Platonem diſſeruit, quàm de Ideis; manifeſtauit enim eas nec dari, nec illa munera præbere poſſe, quæ ab eis pendere aſſerunt Academici; deſtruxit, non ponendi modũ, ſed abſolutè poſitionẽ ipſam; manifeſtauit generationem, ſcientiam, & alia, quæ ab Ideis dicuntur prouenire, minimè per Ideas fieri, immò per Ideas non poſſe fieri; nullum vnquã vſum dereliquit Ideis; adeò, quòd ſi eas concederet, inutiles eas eſſe putandum eſſet; cùm tamen in vniuerſo, ex ſentẽtia eius, nil ſuperuacaneum, nil inutile inueniatur. Aſſerere, quòd ſolùm reiiciat Ideas per ſe, & ſeorſum à mente ſubſiſtentes, nõ eas in diuina mente

mente poſitas; eſt oſtendere, ſe non perpendiſſe rationes Ariſtotelis contra Ideas: illæ enim vim habent abſolutè contra Ideas quouis modo conſideratas; abſolutè enim inquit Ariſt. in 1. in 7. in 13. Metaph. Ideas nec pro rerum definitione, nec pro humana ſcientia, vel reminiſcentia, nec pro rerum generatione, vt fiant à ſimili, neque pro rerum principiis eſſe ponendas: quia longè ſecùs hæc omnia fiunt, quàm per Ideas fieri exiſtimauerit Plato; & cùm nullam præbeant vtilitatem, eſſe vaniloquia, & poeticas metaphoras affirmat. Propterea in 12. Metaph. 51. ait melius eſſe Deo nō videre vilia, & mortalia, quàm videre. Accedit, quòd cùm Ideæ, ex præcipuorum Academicorum ſententia, ſint formaliter diſtinctæ; hanc diſtinctionem nunquam in prima mente concederet Ariſtot. qui eam eſſe ſimpliciſsimum actum affirmauit, expertem nedum materiæ, ſed etiam modi materiæ; quem materiæ modum Academici cum Ideis permiſcent, vt ſuprà apparuit. Longè etiam minùs valemus dicere, quòd diſſentiat in modo loquēdi; quatenus nomen hominis, & leonis ſolùm compoſitis cum materia conuenire exiſtimauit; non autem diuinæ menti, vt natæ repræſentare, & imitari. Quoniam abſolutè Ariſt. à mēte diuina omnem diſtinctam producendi rationem remouet; ſolùm aſſerit eſſe cauſſam communem, vniuerſalem, vniuersè ad omnia concurrentem; vniuersè enim Deus per Cœ-

li motum fouet omnem generationem: quòd verò hic, qui generatur, ſit homo, ille verò leo; non ex diſtincta diuinæ mentis Idea prouenire cenſet; ſed ſolùm ex eo, quia hic proximè fit ab homine, ille à leone: adeò, vt primum, & proprium principium generationis leonis, ſit corporeus leo ex ſententia Ariſtotelis, non autem Idea leonis, vt Plato exiſtimauit. Demum, quia Ariſtoteles nec rerum à Deo ſimplicem emanationem, nec mundi productionem ponit, ſed ſolùm conſeruationem à primo principio; iurè putandum eſt, nullo pacto conceſsiſſe Ideas, cùm nil admiſerit, quod Ideis ſit conſentaneum. Colligamus itaque Ariſtotelem per ſua fundamenta, & per ſuæ philoſophiæ initia Ideas minimè conceſsiſſe, ſed ſolùm in diuina mente cuncta inueniri putaſſe in eminentia, at non per diſtinctas Ideas: nam hoc conuenire cenſuit illi cauſſæ, quæ ſolùm eſt cauſſa communis, & nullius aliqua ratione propria. Ideæ enim ſupponunt id, cui conueniunt, diſtincta ratione diuerſorum eſſe principium; continentia verò in eminentia ſecùs ſe habet. At cùm ita ſentiat Ariſtoteles, nec poſsit cùm Platone conciliari; nos, dimiſſo Ariſtotele, cum Platone, cum Theologis, & cum priſcis mundi ſapientibus Ideas ſtatuamus, eaſq; magnificemus; de quibus Boetius in 3. de Conſol. metro. 9. ita cecinit:

*Quem*

*Quem non externæ pepulerunt fingere cauſæ*
*Materiæ fluitantis opus, verùm inſita ſummi*
*Forma boni, liuore carens: tu cuncta ſuperno*
*Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe*
*Mundũ mente gerens, ſimiliq́ in imagine formans,*
*Perfectasq́ iubes perfectum abſoluere partes.*

FINIS LIBRI
Tertij.

# STEPHANI THEVPOLI, BENEDICTI F. PATRITII VENETI,

## ACADEMICARVM *Contemplationum*,

## LIBER QVARTVS.

### DE ANIMA VNIVERSE CONſiderata.

*Quid ſit Anima ex aliorum opinione.*

### CAP. I.

PRAECLARA ea quidem ſunt, quæ ad ipſum Vnum, ad Mentem, ad Ideasque pertinent: in quibus hactenus verſati ſumus. At quæ ad animam pertinent, præter id, quòd diuina ſunt; nam vſque ad animam deſcendit diuinitatis fulgor (vt in Epiſtolis ait Plato) etiam hominis ſunt propria; eique adeò accommodata, vt ſeorſum ab animæ cognitione, inanis, & ſuperuacanea omnis alia cognitio cenſeri mereatur. Propterea Plato, in explicanda anima accuratiſsimum ſe præſtitit; & iniuria profectò ab Ariſtotele in proœ-

procemio de anima carpitur, quòd de anima diſſerẽs, de ea ſola hominis verba fecerit: nam Plato omnes animæ gradus latiſsimè manifeſtauit; nouit tamen ſolam animam rationalem abſolutè, & verè animam eſſe; cæteras verò vmbras, veſtigia, & idola animæ. Inſuper nouit, quòd qui de hominis anima agit, de omni eius gradu loqui tenetur, cùm omnes inueniantur in homine; ideò commendatione, nõ reprehenſione dignus eſt Plato. Quòd anima ſit, adeò conſtat, vt ſuperuacaneum ſit in eius oſtenſione immorari. Quid ea ſit, maximè latet, vt vnà cum Platone affirmat Ariſtoteles: ideò dicebat Plato, difficillimum eſſe ſe noſcere; quia difficilè eſt cognoſcere, quid ſit anima. Inſuper aſſerebat nos cõſpicere animam, tanquam marinum Glaucum, ſuo decore, ſuaque prima forma deſtitutam; alienis ſordibus fœdatam. Propterea nonnulli eam eſſe corpus putarunt: at corpus corpori abſolutè nõ dominatur, nec principium eſt corporum, nec munera omnem corporum facultatem excedentia valet abſoluere; quæ omnia manifeſtiſsimè conueniunt animæ. Alij exiſtimarũt animam eſſe accidens: at accidens non per ſe ſubſiſtit, non ſupra corpus collocatur, non iungitur cum mente, non iudicat, nõ ſubſtantiam conſtituit, nõ ſui, & aliorum eſt primum initium motus; quæ omnia ab anima proficiſcuntur. Colligamus itaque vnà cum Platone, & Ariſtot. animam non corpus, ſed incorpo-

ream eſſe; non eſſe accidens, ſed ſubſtantiam. Verùm quæ ſit hæc incorporea ſubſtantia, apprimè latet. Ariſtot. pro ea explicāda, ſummoperè in ſecundo de Anima laborauit; & præmiſsis variis diſtinctionibus dixit, eam eſſe actum primum corporis phyſici inſtrumentarij, ſiue potentia viui: inſuper dixit, eam eſſe primum principium nutriendi, ſentiendi, cogitandi, loco mouendi. Hæc profectò verè de quadam anima dicuntur; at non ſemper ei cōueniunt, veluti dum à craſſo corpore ſeiungitur; nec conueniunt omni animæ, vt animæ Dæmonum, cælorum, & mūdi; nec naturam, & eſſentiam animæ patefaciunt; ſed potiùs cuius anima ſit, & quid efficiat: nam hoc præſertim cognoſcere expetimus, quid ſit actus, & perfectio hæc, quæ in noſtro corpore reperitur, & noſtrarum operationum eſt initium; qua de re nihil exactè explicant Peripatetici.

*Quid ſit Anima, opinio Platonis.*

## CAP. II.

PLato in Phædro, & 10. de Legibus Animam eſſe dixit numerum ſe mouentem; quam definitionem ſumpſit ex Philolao, Philolaus ex Pythagora. Peripatetici variis argumentis eam eſſe negligendam nituntur oſtendere: ſed quia ea definitio eſt obſcura, ideo ab eius explicatione exordiar, vt inde appareat, inanes eſſe inſtantias omnes, quæ aduerſus eam afferuntur.

Plato

Plato Pythagoram imitatus, per Mathematica iuuenibus tunc temporis familiariſsima, res phyſicas explicare conſueuit; ac per Geometrica præſertim res phyſicas, per Arithmetica res incorporeas declarauit: numeri enim magis conueniunt cum rebus abiunctis, magnitudines verò cum rebus corporeis. Et quoniã anima eſt mediæ cuiuſdam conditionis, ideo per vtrunque eam explicandam eſſe cenſuit: quod optimè ſeruauit: nonnunquam enim eam explicauit per numerum, inquiens, eſſe numerum ſe mouentem: nonnunquam per figuram, & magnitudinem, vt in Timæo: dum in anima linearum interſectionem, & duplicẽ circulum conſiderauit. Explicans res phyſicas per mathematica, non cenſuit verè phyſica ex accidentibus mathematicis conſtare: ſed vel per mathematica denotauit præcipuas illas mathematicorum rationes, & formas in præcedentibus explicatas; vel per conditiones rerum mathematicarum manifeſtare voluit analogia quadam conditiones rerum natura conſtantium. cùm enim mathematica ſint à materiæ fluxu, & inconſtantia ſeiuncta; conditione quadam exacta, certa, exquiſitaque participant, per quam maximè conferunt ad ingenij diſpoſitionem, eleuationem, & rei latentis explicationem: & propterea, vt ad numerum pertinet, ſeruata analogia dicimus quinque inueniri ſubordinatos numeros; Diuinum, ſubſtãtialem, animarium, naturalem,

& mathematicum: primus eſt vniformis, ſecundus immobilis, tertius ſe mouens, quartus ab alio motus, poſtremus imago aliorum, & externa eorum menſura. Diuinus conſideratur in Deo in eminentia, vt in principio omnium: Subſtantialis cõuenit menti per Ideas, quæ eſſentia, vnitas, & ens primum dicitur: Animarius numerus, conuenit animæ per rationes: Naturalis, rebus Phyſicis per naturæ ſemina: Demum Mathematicus, qui imago eſt ab anima rationali in phantaſiam expromptus. Anima eſt numerus, nõ quantus, & mathematicus, ſed animarius; eſt numerus, non quidem numerans, ſed numeratus, ſeipſum generans, in ſeipſum conuerſiuus: & quoniam ex numero harmonia conſurgit, ideo etiam anima harmonia eſſe dicitur; non quidem harmonia partium corporis, neq; harmonia quanta in ſono, vel in voce collocata; ſed harmonia ex ſubſtantialibus ſuis numeris conſurgens, in ſuis rationibus, & generibus eam conſtituentibus poſita: ex qua, tãquam ex cauſſa, cùm partium corporis, tum motuum, vocum, & ſonorum prodit harmonia, harmoniæque iudicium; & inde conſurgit voluptas, qua ob harmonias, tanquam ob res ſibi familiares, afficitur anima. Ex his colligo; primò, quòd cùm Plato in Phædone neget animam eſſe harmoniam, in Timęo eam eſſe harmoniam affirmet, ſibi minimè aduerſatur; negat eſſe harmoniã quantam, vel ex partibus corporis conſurgentem;

tem; aſſerit eſſe harmoniam, altero iam explicato modo. Colligo inſuper non rectè à multis culpari Platonem, quia aſſeruerit animam eſſe vel harmoniam, vel numerum: ipſi enim reſpiciunt ad numerum vulgarem mathematicum, ad harmoniam quantam, & ad eam, quæ qualitas, vel accidens eſt: cùm Plato longè altiùs eleuatus, de eminentiore harmonia verba faciat.

*Qualis Numerus conueniat Animæ.*

## Cap. III.

SI explicare vellem numeros, proportiones, medietatesque omnes animæ conuenientes; ac inſuper eorum conditiones, analogias, & ſignificationes; præter id quod nimiùm in longum protraheretur oratio, etiam rem ab aliis actam agerem. Nam Marſilius Ficinus, Proclus, Chalcidius, & alij in Academia accuratè verſati cumulatiſsimè de re hac verba fecerũt. Propterea ego in paucis ſolùm, & in eis quàm breuiſſimè immorabor. Conuenit varia conſideratione animæ multiplex numerus. Primò in ea conſideratur vnio, & vnitas, vt in proprio gradu particeps eſt diuinæ Vnitatis; ac etiam ratione ſuę totalitatis; eſt enim vnum quoddam totum. Et quoniam triplex conſideratur totum, vnum ante partes, aliud ex partibus conſurgens, tertium in ſingulis partibus; anima ſingulis his modis totum eſt: ea eſt totum ante

partes,dum cõſideratur, vt diuidua in eas: eſt totum conſurgens ex partibus,dum primò aſſumptis partibus conſideramus,quomodo ex illis ea conſurgat: eſt totum in ſingulis partibus,cùm anima ſit tota in toto, & tota in quauis parte. Inſuper conuenit animæ numerus binarius; & quia eſt nata diuidi; & quia in ea reperitur infinitum,& terminus,identitas, & alteritas; & demum conuerſio ad intelligibilia, & ſenſibilia. Et iurè conuenit animæ binarius, cum vnitate coniunctus: nam menti ſupra animam,præſertim vnitas cõuenit; corpori infra animam, ſolum infinitum; animæ mediæ, conuenit propriè dualitas, quaſi infinitum cum vnitate coniunctum. Inſuper animę tribuitur ternarius numerus: tum ratione principij,medij, & finis eius: tum quia in ſe manet,ad infera progreditur,reuertitur ad ſuperna; inſuper fluit ab vno, recedit ab eo, reflectitur in illud: tum demum, quia, vt inquit Proclus, animæ natura in tria diuiſa eſt, in ſubſtantiam,potentiam,& actionem; inſuper ſubſtantia in eſſentiam,harmoniam,& ſpeciẽ; eſſentia in propriè ſubſtantiam, idem, & alterum; ſic ternario numero anima gaudet, eoq; referta eſt. Inſuper conuenit ei numerus quaternarius: quatenus in materiam eſt procliuis, quatuor qualitatibus, quatuor elementis, quatuorque humoribus contemperatam; & ea quatuor præcipuis facultatibus eſt prædita, nutriendi, ſentiendi, loco mouendi, & intel-

intelligendi. Sed vt cæteros numeros, eorumque cum anima conformitates prætermittam; præſertim tribuitur animæ numerus quinarius & ſeptenarius. Quinarius, quoniam & ex quinque rerum generibus, & quinque modis anima componitur, vt infrà apparebit: inſuper, quoniam quinque in anima conſiderantur; primò, ſubſtantia eius; ſecundò, harmonia rationum eius; tertiò, ſpecies ex partium, rationúmve concordia conſurgens; quartò, virtus eius; quintò, actiones: & propterea, vt ait Proclus, animæ conſideratio in quinq; potiſsimum capita diſtribui debet. Præterea, vt anima ex diuidua, indiuiduaq; natura cōſtat; ita quinarius ex primo pari, primoque impari componitur. Demum, vt anima in vniuerſo media eſt; ita quinarius in vniuerſo numero, nempe in denario, medius conſpicitur. Septenarius verò numerus cōuenit animæ; quoniam ſeptenarius includit vnitatem, vt copulam geminæ trinitatis, ex quibus vnà cum copula tertia conſurgit trinitas; adeò, vt in ſeptenario ter omnis perfectio reperiatur: ſic in anima reperitur perfectio ratione principij, medij, & finis; ratione conuerſionis, ad ſupera, in ſe, & ad infera. Hinc rectè ait Proclus; Numerus ſeptenarius eſt numerus Apollini dicatus, omnis conſonantiæ parens; quoniam in vnitate, binario, & quaternario, ex quibus ſeptenarius reſultat, primum biſdiapaſon reperitur. Hinc Plato pro animæ

compoſitione ſeptem recipit numeros, in quibus omnes harmonicæ rationes comprehenduntur. Inſuper etiam vſq; ad ſeptimum gradum, vt aiunt Muſici, omnis vocum diſcrepãtia progreditur. Non iniuria itaque Plato vtitur ſeptenario pro compoſitione animæ. In numeris quoque animam cõponentibus conuenienti ratione omne medium reperitur: in eis eſt medium Geometricum, rectè legum inſtitutioni reſpondens; de quo Plato in ſua R. P. ait, per illud ciuitates rectè gubernari: reperitur medium Muſicum, quod iuſtitiæ ſimilitudo eſt: Demum reperitur medium Arithmeticum, quod Pacis celebre ſignum nuncupatur. Hac itaque ratione, & modo, cum mira ſignificationum fœcunditate, Plato ex numeris cõſtare animam affirmauit. In qua etiam figuras conſiderauit, circulum ſcilicet, & triãgulum: quoniam, vt anima prima eorum eſt, quæ ad corpus vergunt; ita hæ figurarum omnium, cùm rectilinearum, tum curuilinearum primæ ſunt. Inſuper, animæ per mentem conuenit orbiculatio; per naturam propriam progreſſus, & rectitudo; ideò cùm rotunda, tum recta figura in anima reperitur. Mitto cæteras circuli, & trianguli cum anima conuenientias: ſat mihi eſt capita attingere; vt appareat, quales ſint numeri, & figuræ, quæ in anima à Platone conſiderantur.

*Quomo-*

*Quomodo anima dicatur mouere ſeipſam, & eſſe initium motus.*

Cap. IV.

MVltiplex profectò eſt motus:& præſertim quadruplex, ex ſentētia Platonis, conſiderari poteſt. Primus eſt motus materiæ mundi, de quo loquitur Plato in Timęo inquiens:Ante mundi generationem materia fluctuabat, inconſtanti, inordinatoq́ue motu mouebatur. hic motus potiùs eſt fluxio, inconſtantia, priuatioq́ue termini, & ordinis; quàm verè motus. Alter eſt motus phyſicus corporum natura cō ſtantium. Tertius eſt motus animæ. Quartus mentis:nam mens, quamuis dicatur immobilis; attamen ei conuenit motus, quatenus ex ſe excitatur ab eſſe ad agere. Prætereà menti conuenit motus,non quidem tranſitiuus, ſed pro genere rerum ſumptus, vt in præcedentibus apparuit. Anima motu animario ſe mouet, qui motus multiplex eſt: Ideo Plato in 10.de Legibus dixit, nomina motuum animæ eſſe,velle,conſiderare,conſultare, opinari, lætari,dolere,metuere,odiſſe,diligere,& ſimilia: adeo quòd anima,nedum ſe mouet,quia ex ſe excitatur ad trāſitiuum motum,& eſt initium eius in corporibus; verùm inſuper, quia motibus aliis ſe mouet, qui metaphoricè motus nuncupantur; quibus motibus dicitur ſe mouere,quoniam ſunt actiones immanentes, nō tranſeuntes. Et quemadmodum in anima v-

nitas non deſtruit diuiſionem, nec diuiſio re-mouet vnitatem; ita motus in ea non deſtruit ſtatum, nec ſtatus motum: quoniam ratione diuerſorum ei conuenit motus, & ſtatus; vt ratione diuerſæ conditionis, cœlum dicitur, & moueri, & eſſe immobile. Ex his patet rectè à Platone animam dici numerum ſe mouentem: quæ definitio approbata à Zenocrate, ita ab eo explicabatur, quòd anima eſſet ſubſtantia ſecundùm numerum vna, ex ſubſtantiis multis conflata ſeipſam mouens. Sic Cicero, quod debuit Platoni tribuere, perperam tribuebat Ariſtoteli, dum entelechiam ab Ariſtotele pro genere in definitione animæ ſumptam dicebat denotare perennem motum: quod, vt longè abeſt à ſententia Ariſtot. ita maximè eſt conſentaneum opinioni Platonis; verè enim anima eſt motus perennis ex Platonis ſententia. Quòd ſi etiam per clariores terminos volumus Platonicam animæ definitionem latiùs explicare, dicere valemus: Anima eſt ſubſtãtia incorporea, à mente pendens; ex rerum principiis, & generibus conuenienti ratione, & numero ita conflata, vt ex ſe moueatur; & iuncta corpori ſit primum initium tranſitiui motus.

Ita cenſeo ego poſſe latiùs breuem illam definitionem explicari.

*Quæ à Peripateticis obijciuntur Platoni, & an debeant conciliari.*

CAP. V.

IN multis profectò Plato, vt attinet ad animæ naturam, & conditionẽ, ab Ariſtot. carpitur. Primò ei obiicitur, quòd dicat eam ſe mouere; cũ nihil in ſe agat, nil à ſe patiatur: Si enim idem ſe moueret, plurima ſequerentur abſurda, ab Ariſt. in 8. Phyſic. poſt cont. 40. latè explicata. Inſuper anima non poteſt ſe mouere, nec propriè ſumpto motu, nec eo ſumpto metaphoricè: non propriè ſumpto; quia omne, quod eo motu per ſe mouetur, eſt in loco, vt inquit Ariſtoteles in primo de anima. 38. anima autem non eſt in loco: neque etiam ſe mouet motu metaphorico, qualis eſt ſentire, conſultare, & ſimilia; quoniam, vt inquit Ariſtoteles in primo de anima 65. Non anima ſentit, vel intelligit, ſed homo per animam. Inſuper Plato ait non mentem, ſed animam eſſe primum principium tranſitiui motus: Ariſt. animá à mente non ſeiungens ait, cœleſtes mẽtes mouere cœlũ; & eſſe primũ, & propriũ initiũ motus cœli. Præterea carpitur ab Ariſt. in 2. de anima 26. quoniam Plato abſolutè animá ſtatuit iungi cum corpore; & non explicat, quale debeat eſſe id corpus, in quo ea recipitur. Inſuper in Proœmio de anima arguitur Plato: quoniam agens de anima, non de ea vniuersè, ſed de ſola hominis anima verba facit; relata enim

definitio, ſoli animæ hominis videtur conue-nire. Demum motus eſt ſecundus actus, anima ab Ariſtot. in 2. de anima dicitur actus primus; motus eſt accidens, anima eſt ſubſtantia; iurè itaque in multis culpandus videtur Plato. Nituntur nõnulli, è quorum numero præcipuus eſt Simplicius, Ariſt. cum Platone conciliare: ſed manifeſtiſsimè falluntur. Profectò de nonnullis ſola eſt lis in verbis; at de præcipuis re'vera diſſentiũt, re vera inter ſe pugnãt, quorum lis à principiis ducitur: vario enim modo de Ideis, & rationibus ſentiunt; pariter de rerum generibus componẽtibus animam; de dependentia, & diſtinctione rationalis animæ à mente, de modo operandi animæ; & de primo initio motus. Propterea non ſat eſt dicere, vt ait Simplicius, Platonem latiùs accipere motum, quàm faciat Ariſtot. & non loqui de motu corporum, de quo loquitur Ariſtot. nam etiam eo latè ſumpto motu, non propriè anima ſe mouet ex ſentẽtia Ariſt. cùm debeat ſemper moueri ab obiecto; immò Ariſtot. in 8. Phyſic. ait eſſe abſurdum, vt idem ſit docẽs, & addiſcens; & in primo de anima negauit animam ſentire, vel intelligere, ſed corpus per animam; & profectò hi non ſunt motus corporum, & propriè ſumpti. Pariter non ſatisfacit, quod dicitur à Simpl. in 8. Phyſ. 44. dũ inquit animam ſe mouere, nõ vt quod ſimplex; ſed vt includens varias rationes, per quarum aliquam ſit in actu, per aliam in potentia. Hoc equi-

equidem ex ſententia Plat. rectè eſt dictum, at cum Ariſtot. dici non poteſt: qui in anima rationes non concedit, nec cenſet per rationem vnam in anima excitari aliam; ſed ſolùm adeptionẽ vnius, eſſe initium adeptionis alterius. Dicamus itaque Ariſt. verè diſſentire à Platone, & nitamur Platonem à calumniis Peripateticorum vindicare. Dum inquiunt, nil ſe mouere poſſe, ne idem reſpectu eiuſdem ſit in actu, & in potẽtia: dicamus, idẽ nõ poſſe eſſe in actu, & in potentia per eandem rationem, ſed per rationes diſtinctas id contingere poſſe; & præſertim loquendo de motu rei incorporeę, qui eſt actio quædã ſine propriè ſumpta perpeſsione: & hoc affirmamus neceſſariò debere conuenire primo mouenti, vt deinde valeat eſſe initium motus aliorum: immò in hoc arguendus potiùs videtur eſſe Ariſt. qui non valuit rectè explicare, quomodo anima, cùm ex ſe non excitetur, nec ſe moueat, valeat mouere corpus: nam dixit animam mouere, quia ex actu imaginationis alteratio conſurgit in inſtrumentis motus; poſt quam primam alterationem moueatur corpus munere diſtinctionis, & nexus partium eius. Verùm neque ea alteratio eſt neceſſaria, cùm frequenter ſine ea fiat motus; neque etiam neceſſaria eſt diſtinctio membrorum, cùm anima moueat cœlum ſine vlla alteratione, moueat vehicula ſine inſtrumentorum diſtinctione: ſed verè ſolùm, quia anima ex ſe per diſtinctionem rationum,

& ex ſui natura excitatur, valet proximè mouere aliud. Anima ſe mouet, ſed motu animario abſque propriè ſumpta actione, & perpeſſione; non ſecùs ac dum dicimus ex ſe lucere Solem: & hic nuncupatur motus primus rei incorporeæ conueniens; ex quo conſurgit motus ſecundus, qui corporum eſt: Sic non ſequuntur abſurda, ad quæ deducit Ariſt. in 8. Phyſ. Præterea dum Ariſt. inquit, omne, quod mouetur, eſſe in loco: id verum eſt de eo, quod mouetur motu ſecundo, & motu corporum. Dum addit, animam nec ſentire, nec intelligere; ſed hominem per animam. Ad hoc dico primò, animam ſentire, & intelligere; niſi tanquã totum proximè ſentiens, & intelligẽs; ſaltem tãquam primum principium; eſt enim anima, etiam ex ſententia Ariſt. in 2. de anima, primũ principium nutriendi, ſentiendi, &c. ideo dixit in initio tertij de anima: De particula animæ, qua anima cognoſcit, & ſapit: & in cont. 4. de intellectu, quod omnia intelligit. Addo ſecundò, per fundamenta Platonis rectiùs nos ſeruare poſſe animam intelligere, conſultare, & reliqua obire munera, quàm ex ſententia Ariſt. Ratio eſt; quoniam ex opinione Platonis inſunt in anima rationes rerum, per quas intelligit; quæ non inſunt ex ſententia Ariſt. & anima iuncta vehiculis ſentit, mouet, & intelligit; quamuis non adſint inſtrumenta corporis. Præterea, ſi Ariſt. mentem non ſeiunxit re ab anima, & mentem poſuit proximum initium

tium motus in cœlo, errauit profectò: vt enim ratiocinatio à ſimplici intuitu rei diſtinguitur: ita ratio ab Idea, & fundamẽtum rationis à fundamẽtò Ideæ ſeiungi debet. Et quoniam in Ideis conſideratur indiuiduũ ſine progreſſione, in ratiocinatione conſideratur diuiſio quædam, & progreſsio ex vno in aliud; ideo ratio, & non idea, anima, & non mens eſt proximum initium tranſitiui motus corporum; nec datur in mundo trãſitus ex vno extremo in aliud ſine conuenientibus mediis. Præterea, dum vlterius dicitur, quòd Plato non determinat, quale debeat eſſe corpus, cum quo iungitur anima: dico hac de re potiùs Ariſtotelem eſſe culpandum, qui animam nimiùm poſuit cum corpore complicatam, quàm Platonem. Poteſt ſeruari anima, nedum in corpore inſtrũmentario, verùm etiã in corpore non inſtrumẽtario: immò ſemper anima proximè in corpore non inſtrumentario tenui, & puro recipitur, & per illud iungitur aliis; quod exactiùs à Platone fuit explicatum, qui de variis animæ vehiculis ſæpe loquitur, quàm ab Ariſtot. Et quando additur, quòd Plato de ſola hominis anima loquitur: reſpondeo, cumulatiſsimè à Platone animam in nutrientem, ſentientem, & ratiocinantem fuiſſe ſæpè diuiſam: exactè omnem eius partem in Timæo, in lib. de R.P. & alibi fuiſſe explicatam. Quòd ſi data definitio ſoli animæ hominis videtur conuenire, id cõtingit duplici de cauſſa: primò, quo-

niam in homine omnis animæ gradus reperitur: ſecundò, quoniam verè, propriè, & abſolutè anima ea ſola eſt, quæ compos eſt rationis; reliquæ ſunt vmbræ, idola, & veſtigia animæ. Et dum poſtremò dicitur, motum eſſe accidens, & actum ſecundum: reſpondeo, actionem animæ, & motum ſecundum, qui corporum eſt, eſſe accidens; & ſecundum actum; at ſubſtantialem animæ numerum, qui ex ſe excitatur, & ratiocinatur, denotatum per numerum ſe mouentem, proculdubio eſſe ſubſtantiam, & actum primum, initium ſecundi; ad quem numerum ſe habet primus ille motus, tanquam affectio inſequens naturam eius, & nobis patefaciens animæ conditionem.

*De Animæ generatione.*

CAP. VI.

PLato in Phædro, nedum aſſerit, ſed etiam demonſtrat animam eſſe ingenitam; in Timæo abundè de animæ generatione verba facit; adeò, vt ſibi conſtare non videatur. Philoponus in diſputationibus contra Proclum, nititur apparentem contradictionem ſoluere inquiens, animam rationis compotem à mente, ſola ratione diſtingui: ea enim, vt abiuncta, dicitur mẽs, ſiue intellectus; vt iuncta corpori, dicitur anima; in prima conſideratione eſt ingenita, in altera genita eſt cum generatione corporum. Fallitur vir hic ſapiens: primò, quia, ex ſententia Platonis, anima, nedum ratione, ſed etiam

re,

re, diſtinguitur à mente: ſecundò, quia Plato in Timæo explicans animæ generationẽ, non ad coniunctionem cum corpore; ſed ad naturam, & eſſentiam animæ reſpexit; vt mox apparebit; demum, quia in Phædro non mẽtem, quam vbique ſtatuit immobilem, ſed animam ſe mouentem, ex eo, quia ſe mouet, aſſerit ingenitam. Platonici varia de re hac dicunt: ſed, vt rem paucis perſtringam, aſſero, apparẽtem contradictionem pendere ex æquiuocatione termini, generationis. Nam generatio dicitur; cùm de his, quæ ſolùm fiunt, & non ſunt; tum de his, quæ & fiunt, & ſunt: anima eſt, & fit; vt eſt, non gignitur; vt fit, gignitur: corporea, cũ ſolùm fiant, & non ſint, ſolùm gigni dicuntur. Præterea, quia anima media eſt in vniuerſo, & eſt primum initium motus, ac inſuper pendet à mẽte, & Idea; ea, vt initium primum motus, non fit; ſic conſideratur in Phædro: at dum conſideratur abſolutè, vt pendet à ſua Idea; quę in Timæo dicitur Patera, in qua commixtæ ſunt animæ; ſic eſt genita. Demum, vt eſt ſemper, dicitur ingenita; vt eſt conſtituta ex primis principiis, & generibus rerum, genita eſt. Sed dubitatio oritur; quia ſi mens pendet à Deo, & ea quoque includit omnia principia rerũ; cur Plato in Timæo non ita poſuit mentis generationem, vt poſuit eam animæ? Ad hoc reſpicientes nonnulli, ſuſpicati ſunt ex opinione Platonis, ſolum Deum eſſe mentem; ſub Deo locari animas, quæ eius redderentur

compotes; & propterea primò animę aſsignari generationem, non mentis. Quæ ſententia, quamuis probabilitate non careat, attamen ob varia apprimè dubia eſt: ideo, nedum à potioribus, ſed etiam ferè ab omnibus Platonicis, ſupra animam gradus mentium ponitur ſub Deo ordinatarum. Ad dubitationem, cur Plato earum non ponat generationē; reſpondeo, id non facere, quoniā mentes ſolùm ſunt, & nō fiunt: ideo Plato loquens de mundi generatione, ponit primò diſtinctionem inter ea, quæ ſolùm ſunt; & ea, quæ fieri dicuntur. Præterea non ponit mentis generationem: quoniam generatio ex Idea pendet, mens ſolùm manat à Deo, non per Ideam gignitur: nam Ideæ ad mentem pertinent, & in ea ſunt: ideo ſolùm ordinata ſub mente, gigni dicuntur. Cùm anima à Platone dicatur genita, non propriè ſumpta generatio, & in tempore facta denotatur; ſed ſolùm indicatur æterna emanatio à primo opifice per eius Ideam, & præſertim aſſerendo mundum eſſe ęternum. Animæ non vna, ſed triplex conuenit generatio: prima eſt dependentia à mente per propriam Ideam, & cōpoſitio eius ex primis principiis, & generibus rerum: altera eſt complicatio eius cum corpore, quæ rectiùs dicitur deſcenſus, quàm generatio: poſtrema eſt, dum à ſe egreditur, inferiores vitas generat, cum virtute imaginandi iungitur, ac mox excitata in ſe redit; in hoc enim ſtatu conſideratur & generatio

ratio progredietis vitæ, & regeneratio ſuimet in reditu in ſeipſam; abſolutè tamen regeneratio animæ eſt eius reditus in cœlum: quæ regeneratio à Plat. in lib. de Regno ſub ænigmate denotatur, dum inquit, regnante Saturno moueri cœlum ab occaſu in ortum, & homines naſci ſenes, mori pueros; hæc enim regeneratio ſenium animæ præſupponit, & dicitur fieri regnante Saturno, hoc eſt, præſertim munere contemplationis.

*De Animæ compoſitione.*

## CAP. VII.

QVò longiùs ab ipſo vno recedimus, eò magis labimur in multitudinē; quò magis diſtamus à primo ſimplici, eò magis in compoſitione verſamur. Et quoniam anima in tertio gradu collocatur; iurè maior, cùm diſtinctio, tum compoſitio in ea reperitur, quàm in mente: immò cū anima ſit omnium media, ſit nexus omnium, iurè in ea omne compoſitionis genus debet modo aliquo reperiri. Anima varia conſideratione quinque modis dicitur compoſita; primò ex rerum initiis, & generibus; ſecundò ex numeris; tertiò ex numeroſis concentibus; quartò ex initiis figurarum, triangulo ſcilicet, & circulo; quintò ex principiis motuum. Et quoniam ſimile ſimili cognoſcitur; ideò his compoſitionibus anima, nedum cuncta ligat, ſed etiam cuncta cognoſcit: eſſentias, nume-

ros, concentus, figuras, & motus. Quòd ſi Plato in Phædro compoſitionem ab anima videtur remouere; putandum eſt, illum tunc ab anima, tanquam à principio conſtituente corpora, remouere eam compoſitionem, quæ cõuenit corporibus. Ariſtoteles etiam in anima nouit compoſitionem ex variis facultatibus; ex intellectu agente, & poſsibili; ex non eſſe, & eſſe. At Plato exactiùs animæ conditiones, & naturam explicans; ob rationes rerum, quas in anima poſuit, & diuerſa genera, ac principia, quæ in anima conſiderauit; præter compoſitionem ab Ariſt. poſitam, etiam alias explicare valuit. Demum, quia vnumquodque eatenus eſt, quatenus ipſo vno participat; ideò multitudo animæ, vnionis, tanquam capitis, eſt particeps; eiusque compoſitio, ratione vnionis, eſt particeps ſimplicitatis; adeò, vt in ea, nec multitudo vnitatem, nec compoſitio ſimplicitatem, nec motus ſtatum deſtruat.

*Quòd anima ſit mediæ cuiuſdam naturæ, & conditionis.*

## CAP. VIII.

NOn iniuria priſci omnes Theologi, & cum eis admirabilis Plato, animã mediæ cuiuſdam naturæ, & conditionis eſſe affirmarunt: quos ſectatus Plotinus, accõmodatè aſſeruit eam in Orizonte, ſiue in termino, & nexu æternorum, & mortalium eſſe collocatam. Nam ſi ad omnia reſpi-

reſpicimus,quæ ad animam pertinent; in omnibus mediam animæ naturam,& conditionē inuenimus. Dum ad generationem conuertimur,ea eſt media inter genita, & ingenita: eſt genita, vt ab Idea ſua pendet, vt declinat à ſe, vt iungitur cum corpore; & idolum ſui, ac ſecundas in eo parit vitas: eſt ingenita, ratione ſuæ præſtantioris,ſtábiliſque portionis; quæ & intelligens, & indiuidua eſt.Ideo quæ ſunt ſupra animam,ſolùm ſunt, non fiunt; quæ infra animam,ſolùm fiunt, non ſunt: anima verò ſimul & eſſe, & fieri dicitur. Inſuper, quæ ſunt ſupra animam, indiuidua ſunt ſolùm, & tota ſimul; quę infra animam, penitus ſunt diuiſibilia;anima, cùm indiuiſibilis in ſe eſt:tum diuiſibilis,vt operatur,&in corpore recipitur. Præterea, quæ ſunt ſupra animam, ſolùm intelligunt; quæ infra,ſunt expertia rationis, & mentis: anima per rationes, & nexum cum Ideis, ratiocinatur, & modo aliquo intelligit. Inſuper,quæ ſunt ſupra animam, in ſola æternitate degunt; quæ infra animam,in ſolo tempore:in anima ſimul,& finis æternitatis,& initium temporis reperitur. Præterea,quæ ſunt ſupra animam, penitus ſunt abiūcta à corpore; quæ infra animam, corporata penitus:anima medio modo ſe habens, viuit abiuncta, & iuncta cū corpore; præſertim tamen cum corpore tenui, quaſi medio inter corpus,& incorporeum. Inſuper, quæ ſunt ſupra animā, ſunt ſupra motum; quæ infra animam, ſubiiciun-

tur motui, & agitátur ab alio: anima medians, eſt initium motus aliorum, & mouetur ex ſe. Præterea quæ ſunt ſupra animam, in ſe conuerſa intelligunt; & actus primus à ſecundo, hoc eſt, intelligens ab intellectione, in eis non diſtinguitur: quæ ſunt infra animam, ſolùm tendunt in aliud, & ſemper ſecundus actus diſtinguitur à primo: anima tũ in ſe, tum ad ſupera, tũ ad infera cõuertitur; & actus ſecũdus eius, partim non diſtinguitur à primo, vt in parte eius ingenita, & manente: partim diſtingitur, vt in parte genita, & progrediente. Præterea mens non progreditur, vel à ſe recedit: ſed ſolùm in ſe manet, aut participatur: quæ ſunt infra animam, ſolùm ſunt alterius: anima ſimul & in ſe manet, & à ſe labitur, ac progreditur in aliud. Demum mens fruitur vita ſimplici, ſemper fœlici, & vera; quæ ſunt infra animam, ſunt permixta cum morte, veram vitam non viuunt, fœlicitate non participant: anima media, mediam viuens vitam, fœlicitatis, & miſeriæ, vitæ, & mortis eſt capax. Propterea Magi eam Lunæ dixere ſimilem, cuius pars vna lucet, altera tenebricoſa eſt: & iurè anima ita ſe habet, cùm ſit poſtremus diuinitatis gradus; qui proximè cum natura, & rebus corporeis complicatur. Cùm itaque anima mediæ conditionis ſit; iurè ancipitis eſt naturæ, & vitam omnem viuere valet, & à priſcis Prothei imagine deſignabatur; iurè cognitu eſt difficilis; iurè eius operationes mediæ cuiuſdã ſunt

condi-

conditionis, & ea frequenter nominibus extremorum deſignatur; nonnunquam enim mens, nonnunquam natura nuncupatur. Ita quoque conuenienti ratione in ea omne medium inuenitur, & Geometricum, & Arithmeticum, & Muſicum; vt in omnibus appareat admirabilis animę conditio, & natura eius exquiſitiſsimè media. At inquiunt Peripatetici, inter abſtractum, & materiatum non dari medium; pariter inter mortale, & æternum: quomodo itaque anima inter ea mediare dicitur? Ad hoc dicẽdum eſt, inter ea non dari ita medium, vt ſit aliquid, quod ratione ſuæ ſubſtantiæ, partim pendeat, partim nõ pendeat à materia; & partim ſit mortale, partim æternum: at non propterea inficiari debemus, dari medium, quod per participationem cõditionum conueniat cum extremis; immò etiam Auer. in 2. phyſic. 26. formam hominis mediam eſſe affirmat.

*An omnis Anima ſit immortalis.*

## Cap. IX.

Videtur nonnunquam Plato omnem animam, nedum hominis, verùm etiam iumentorum ſtatuere immortalem; & præſertim, dum in Phædro animam ex eo oſtendit eſſe immortalem, quia ſeipſam mouet. Inquit enim: Anima omnis immortalis eſt: quod enim ſemper mouetur, immortale eſt; quod verò aliud mouet, ab

alioque mouetur, cùm terminum habeat motus, terminum habet & vitę: ſolum ergo, quod ſeipſum mouet, quia nunquam ſe deſerit, nunquam ceſſat moueri; immò verò & aliis, quæcunque mouentur, fons, & principium eſt, vt moueantur. Principium autem ſine ortu eſt; ex principio enim neceſſe eſt, quicquid generatur, oriri; ipſum autem ex nullo: ná ſi principium oriretur ex aliquo, ex principio vtique non oriretur: cùm verò ſit abſque ortu, vt abſque interitu ſit, neceſſe eſt. Nam ſi principium interiret, neque ipſum ex alio, neque ex ipſo aliud naſceretur; ſiquidem, ex principio omnia oriátur, oportet. Sic ergo principium motus eſt, quod ſeipſum mouet: hoc autem neq; mori, neque naſci poteſt: alioquin omne cœlum, omniſque generatio cócidat, deſinatque, neceſſe eſt; neque rurſus vnquá conſtare poſſit, vnde hæc motum nacta oriantur. Cùm igitur appareat immortale eſſe, quod ſeipſum mouet; animæ ſubſtantiam, & rationem hanc ipſam, qui dixerit, non erubeſcet: omne enim corpus, cui motus extrinſecùs incidit, inanimum eſt; cui verò intus in ſeipſo ineſt, animatum; tanquam hæc animæ natura ſit. Quod ſi ita eſt, vt non ſit aliud quicquá, quod ſeipſum moueat, præter animam; neceſſariò ingenita, & immortalis eſt anima. Hęc Plato, ex quibus colligitur omnem animam eſſe immortalem: tum primò, quia ſtatim in principio ipſemet aſſerit omnem animam eſſe immortalem: tum inſu-

inſuper, ex medio ſuæ demonſtrationis; quia omnis anima eſt numerus ſe mouens: tum demum ex eo, quod addit, ſola animantia ſe mouere, quia habent in ſe principium motus; reliqua minimè. Confirmatur ex 10. de Legibus; vbi Plato enumerans motus, quibus anima ſe mouet; inter cæteros enumerat lætari, dolere, audere, metuere, odiſſe, diligere: qui motus videntur attinere ad partem ſentientem. Confirmatur etiam ex demonſtratione, qua vtitur idem Plato in Phædone; nam oſtẽdit animam eſſe immortalem, quoniam eius propria eſt vita, ideo non eſt capax mortis: quod enim ex ſui natura ſibi vnum expoſcit, non eſt capax oppoſiti eius. Præterea confirmatur eadem opinio, quoniam in Philebo dixit Plato: Vt ſingula corpora, vniuerſi corporei mundi ſunt partes; ita ſingulæ animæ, vniuerſæ animæ; adeò quòd videtur aſſerere Plato, omnem animam eſſe partem animæ mũdi, & conſequenter omnem animam eſſe immortalem. Hanc ſententiam tetigit Auer. in prima diſputatione contra Algazelẽ dub. 8. inquiens: Et ſi quis fortè diceret, quòd opinio Platonis eſt vera, ſcilicet, quòd anima eſt vna, & antiqua; & diuiditur diuiſione corporum; & in ſeparatione à corpore, redit ad ſuam radicem, &c. Denotauit tunc Auer. ſententiam hanc, quam nonnulli colligunt ex Philebo Platonis; & ab expoſitoribus locus ille Auer. minùs rectè explicatur. Poſtremò eadem opinio confirma-

tur, quia frequẽter Plato cum Pythagora cõcedit tranſitum animarum in corpora iumentorum. Iurè itaque colligunt nonnulli, ex ſententia Platonis, omnem animam eſſe immortalem. Simplicius hac de re fuit anceps: propterea dixit in 8. Phyſic. in expoſitione contextus 44. Sed Plato primò quidẽ, & propriè ex ſeipſa mobilem tradit eſſe omnẽ animam: vel, vt videtur peritiorib9 interpretibus, rationalem: ſic dubium ſe oſtẽdit, num omnis anima, vel ſola rationalis, ſit ex ſeipſa mobilis. At ſi ſola rationalis ſe moueret, quomodo animæ iumentorum eſſent initia motus? Res profectò eſt apprimè dubia. Ex aduerſo tamen Plato manifeſtiſsimè in Timæo vim nutriendi, & appetendi mortalem ponit, & frequenter de mortalibus animæ viribus facit mentionem: & præter cætera inquit in Timæo; Et diuinorum quidẽ ipſe eſt auctor, mortalium verò generationem natis ſuis tradit abſoluendam. Illi igitur ſuum imitati parentem, principiumque animæ immortale ſuſcipientes, animã ipſam mortali corpore clauſerunt; totumq; corpus animæ, quaſi vehiculum, ſubdidere; atque in eo aliam animę ſpeciem mortalem fabricauerunt, quæ grauibus, neceſſariisque perturbationibus afficeretur: & poſt pauca; Cæterum, ne diuinum vlla mortalium contagione, niſi quantum ſumma neceſsitas cogeret, pollueretur; ſeorſum ab illo in alia corporis ſede mortale collocauerunt; atque à pectore caput, ceruice

uice, & collo interiecto, ſeparauêré: In pectore igitur, & thorace mortale genus animæ poſuerunt. Hæc Plato: per quæ manifeſtiſsimè aſſerit, partes animæ in pectore reſidêtes, mortales eſſe: quod etiam in lib. de Repub. affirmauit. Inſuper in Phædro inquit; Quæ immortales animæ vocantur, ad cœli dorſum eleuantur: indicans etiam dari animas mortales, quæ minimè eleuari poſſunt, nec valent beari. Propterea, ne Plato ſecum pugnare videatur, dicamus, propriè animam eam ſolam eſſe, quæ rationalis eſt: ideo Plato hanc à mundi opifice fieri aſſeruit; cæteras verò eſſe vmbras animæ, & à ſecundis Diis fieri; à quibus ea, quæ pendent, mortalia ſunt; & iurè quidem: nam prodeuntia à primo principio, non pendent à materia, & ſolùm agunt, non patiuntur; quæ verò pendent à ſecundis Diis, etiam pendent à materia, & perpeſsioni ſubijciuntur. In anima rationali inſunt propriè ſumptæ rationes, quibus anima propriè ſeipſam mouere poteſt: ab anima rationali pendent aliæ, quaſi vmbræ, veſtigia, & facultates ex copulatione animæ cum craſſo corpore conſurgentes. Hinc Plato animam rationalem nuncupauit in Timæo Principium, dum dixit; Principiumque animæ immortale ſuſcipiêtes, animâ ipsâ mortali corpore clauſerût, &c. Anima hominis iuncta craſſo corpori, omnê in eo facultatê exercet: iuncta vehiculo ſpirituoſo, & æthereo; non omnê, ſed quandam

magis ſpirituoſam; vt puta facultatem videndi, audiendi, & appetendi, quemadmodum de Dæmonibus ſe habere putandum eſt. Ideo in Phædro, currum animæ cum equis eleuari in cœlum, aſſeritur: equi autem ſunt facultates appetendi: equus bonus eſt appetitus honeſti, & timor pudoris; malus verò eſt appetitus libidinis, & concupiſcentiæ. Sed dubitatio remanet de iumentis, & feris; quæ ſe mouent, ſunt præditæ capite ſeiuncto à pectore; in quo pars diuina reſidet, vt dicitur in Timæo: pariter ſunt præditæ cerebro, quod à Platone in Timæo dicitur medulla; in qua velut in agro, diuinum ſemen, hoc eſt anima rationalis ſumpta ab opifice mundi, erat iaciundum, &c.

*Solutio difficultatum.*

CAP. X.

PRofectò ſi ad communia Platonis dicta, & ad externa verba reſpiceremus; difficile eſſet ſeruare, quomodo in iumentis, & feris aliæ animæ facultates ſine ratione inueniretur; ſi aliç ſunt vmbræ, & veſtigia rationis. Attamen, pro aperienda eius ſententia, dicendum eſt; à mundi, vel ſphærarum animis, in feris gigni proprias earum animas, inſtrumento tamen propriæ animæ ſingularum; quæ cùm verè generentur, etiam intereunt. Et dum dicitur; Plato aſſerit omnem animam eſſe immortalem: dico, id

id debere intelligi de rationali; quæ ſola propriè,& abſolutè eſt anima. Dũ additur, quòd etiam iumentorum animæ ſe mouent: dico, ſe mouere, non tãquam prima principia motus; ſed quia ſunt veſtigia, & vmbræ animæ rationalis, vel mundi, vel ſuæ ſphęræ: ſic ratione ſui primi principij ſunt immortales. Sola anima rationis compos, verè, & primò ſe mouet; vt etiam ſola eſt libera, & primò eſt rationibus prædita, & per ſe ſubſiſtere valens; cùm cæteræ vitæ poſtremæ, ſolùm cum corpore, & dependentia ab eo, ſubſiſtant; ideo ſeipſas primò mouere non videntur. Ad confirmationem ſumptam ex 10. de Legibus, patet ſolutio: iam enim patuit animam rationalem comitari vim ſentiendi, & appetendi in ſpirituoſo vehiculo. Ad cõfirmationem ſumptam ex Phædone, quia animæ propria eſt vita: reſpondeo, animæ rationalis propria eſt vita, non cũ morte permixta; ea verò irrationalis animæ, eſt potiùs vmbra, quàm verè vita, & eſt pendens à vita animæ rationalis; & propterea ſolùm æterna eſt, vt ſuo principio, & fundamento nititur: vita, animæ rationalis animam comitatur, quæ oppoſiti non eſt capax; ea verò, quæ eſt vmbra vitæ, in corpore recipitur, quod vtriuſque oppoſiti eſt capax. Ad auctoritatem ex Philebo depromptam, vbi videtur aſſerere omnem animam eſſe portionem animę mundi, dicendum; quòd, vt corpus eſt pars vniuerſitatis corporum, ita tamen, vt ſit numero ab

aliis diſtinctum; ita vnaquæq; anima eſt pars, non quidem animæ mundi, ſed vniuerſitatis animarum: in hoc eſt vera ea ſimilitudo conſiderata à Platone. Ad Auerrorem dicendum eſt, quòd errauit cum illis, qui perperã aſſumpſerunt ſententiam Platonis; vt etiam decepti ſunt Stoici, & Manichæorum illi, qui putarunt animas noſtras eſſe portiones Dei. Ad confirmationem ſumptam ex tranſitu animæ hominis per corpora iumẽtorum, & ferarum; reſpondeo tranſitum illum, partim eſſe allegoricum, quatenus homines ducentes vitam ferarum, in feras tranſire dicuntur; partim eſſe moralem, vt per eum nos deterreamur, & abſtineamus à vitiis; partim demum eſſe verum, & ex ſententia prolatum: nam etiam viri Sancti diuerſa animarum in hoc mundo purgationis genera concesserunt; ideo etiam Plato, quamuis cõfusè, & ſub nube, modo aliquo purgatorium cognouit. At dum animę adſunt iumentis, non propterea eis inſunt, nec iumentorum ſunt animæ; nam tunc in iumentis etiam propriæ eorum animæ à rationali diſtinctæ inueniuntur. Et pro huius confirmatione conſidero pulchrum locum in Phædro, vbi inquit Plato; animas delinquentium hominum, meare quidem per corpora iumentorum; at eas iumentorum, non meare per corpora hominum. verba hæc ſunt: Hinc & in beſtiæ vitam humana anima tranſit, ex beſtia rurſus in hominem; ſi modò anima quandoque

que priùs fuerit hominis: nam quæ nunquam veritatem inſpexerit, in hanc figuram venire non poterit,&c. manifeſtè Plato per hæc indicat animam ferarum diſtingui ab ea hominis, nec meare per hominum corpora. Et dum poſtremò dicebatur, feras eſſe præditas capite, & cerebro, & conſequenter anima Diuinitatis compote ibi reſidente ex ſententia Platonis: Dico animam rationalē reſidere quidem in capite, & in cerebro; non tamen econtra, omne reſidens in capite eſſe animam rationalem: in iumentis, & feris, vis ſola ſentiendi in capite poſita eſt, ſaltem ratione inſtrumentorum, quibus vtitur; non autem anima rationis particeps: & iurè quidem; quia caput, & cerebrum omnibus ſuis numeris abſolutum, ſoli conuenit homini; adeò, vt dicere valeamus, hominem ſolum eſſe capite, & cerebro præditum; cætera non, niſi æquiuocè. Colligamus itaque, ex Platonis ſenrētia, humanas animas, cùm à Deo, tum à mēte eſſe diſtinctas; numeroque inter ſe, & ab anima mundi ſecretas; & abſolutè, ac verè animā eſſe rationalem; eamque ſolam eſſe æternam; cæteras eſſe poſtremas vitas, & animæ vmbras, & mortales. Ex ſenſibus illi ſoli ſunt æterni, qui rationalem animam comitantur; & ab ea non ſubſtantia, ſed ratione diſtinguuntur, ac vehiculo pro inſtrumento vtuntur. Conuenit Ariſt. cum Platone in eo, quòd ambo aſſerūt ſolam animam rationalem eſſe æternam: diſſentiunt tamen;

quoniam Plato ab anima rationali cæteras animas produci exiſtimat, & iurè quidem; cùm ſemper gradus inferior à ſuperiore pẽdeat, & ducatur: Ariſt. tamen ferarum animas ab anima aliqua rationali pẽdere minimè exiſtimat.

*De Vehiculis Animarum.*

## Cap. XI.

Mens, cùm verè ſit, à corporis fluxu eſt ſecreta; cùm ſit lux pura, à corporis tenebricoſa labe longè diſtat, nec corporeo vehiculo eget: ex aduerſo Natura adeò in craſſo corpore eſt immerſa, & cum materia complicata, vt ſine ea exiſtere non valeat. Anima, quia media eſt, medio quodam modo erga corpora eſt affecta: ea nanque cum corpore familiaritatem habet, & ad corpus eſt procliuis: pręſertim tamen ad id, quod purum, nitidumque eſt, & ſecum quodam familiaritatis nexu complicatũ; quod tamen aliqua latitudine prædítum eſt. Hoc cùm mediet inter corpora craſſa, & animam; iurè, veluti nexus, animas cum craſſo corpore ligat: non enim extrema ſine conuenientibus mediis nectuntur. Hinc quoque euenit, quòd varia animæ vehicula aſsignantur; nonnulla proximiùs, alia remotiùs cum anima complicata. Vehiculum animæ familiariſsimum, eſt æthereum, ſiue igneum; quod duplex eſt: nam & ſtella primò animæ deſtinata, à Platone in Timæo vehiculũ eius nuncupa-

cupatur: ac inſuper corpus illud æthereum, ſiue cœleſtis ſpiritus, cum quo deſcendunt animæ in mortalem orbem ad formanda corpora; quod vehiculum radij, & ſtellæ ſimilitudinem ſeruat. Ideo Plato in 10. de R.P. dixit animam ex Letheo campo aſcendere ad generationem, tanquam ſtellam. De eodem vehiculo rectè dixit Iamblicus, Diuinum æthera fœcundiſsimum eſſe pro gignẽdis vehiculis. Hoc itaque præcipuum vehiculum, eſt æthereum, perſpicuum, rotundum; puritate tamen, & impuritate diſtinctum: nam puriſsimo vtuntur ſphærarum animæ, minùs puro Dæmones, & adhuc impuriore animę hominum: per hoc vehiculum puriorum ſenſuum munera perficiuntnr, viſus ſcilicet, & auditus; ita tamen, vt anima per totum vehiculum videat pariter, & audiat; quo ſentiendi munere impuri, & rudes homines non funguntur. At ſi quis per purgatrices virtutes, & per ſapientiã, craſſo neglecto corpore, in vehiculum æthereum totus eleuetur; audit cœleſtem harmoniam; loquitur cum Dæmonibus; videt ne dum Dæmones, ſed etiam ea, quæ longè ab illo diſtant: quod Pythegoræ, & ter maximo Mercurio contigiſſe affirmant. Hinc mirum iudicari non debet, quod ab Olympiodoro Platonico relatũ eſt, Apollonium Thianeum per hanc purgationem, & eleuationem conſueuiſſe ex vrbe Roma, quæ fiebant in Ægypto, conſpicere; pro quo obeundo munere,

neceſſariæ ſunt rationes cum Ideis coniunctę, vt in præcedentibus declaratum fuit. De hoc igneo, ſiue æthereo vehiculo loquens Zoroaſter dixit; Ne fędes ſpiritum, neque in profundum exaugeas, quod eſt planum; hoc eſt, ne fœdes æthereum vehiculum, neq; illud cum craſſo corpore permiſceas: ęthereum enim vehiculum ex ſe eſt planum, hoc eſt tenue, purũ, & ſplendidum; & propterea conueniente metaphora à Platone in Phædro currus animæ nuncupatur: in quo inſidens anima in æthereo mundo rebus intelligibilibus incumbit, aſtrorum circuitus certis ſectatur periodis, & cum diuinis animis vniuerſum gubernat. Vehiculo æthereo, quod & igneum, & cœleſte nuncupare valemus (hoc enim ętheris nomine nunc deſigno) aliud ſuccedit, quod ſpirituoſum dici poteſt; cum quo iunguntur animæ, dum in mortalem mundum deſcendunt, & in craſſo corpore recipiuntur: Quod ſecundum vehiculum nil aliud eſt, niſi ſanguis tenuis, vel ſpiritus per noſtra corpora diffuſus. Et quoniam huiuſmodi ſpiritus inſequuntur conditionem temperamenti humani corporis; ideo ratione dominantis, modò aquei, modò aerei, modò ignei nuncupantur: & huiuſmodi vehiculum ex elemẽtorum ſphæris Dij ſecundi, ſiue cœleſtia corpora conficiunt. Hoc recipit anima, mortale corpus ſubitura: & deſerit, in ætheream regionem reuerſura: cum eo tamen in hoc mũdo mortali verſari poteſt;

adeò,

adeô, vt per illud nonnunquam conſpiciatur, & apud inferos det pœnas ſuorũ delictorum; quo ſecundo vehiculo ſphærarum animę non egent, immò nec animæ hominum eleuatæ in cœlum. Duplex hoc vehiculum eleganter ſimul, & doctè expreſsit Virgilius in 6. Æneidos inquiens:

*Donec longa dies, perfecto temporis orbe,*
*Concretam exemit labem; purumq́, reliquit*
*Æthereum ſenſum, atq́, auræ ſimplicis ignem.*

Hæc duo vehiculorum genera, adeò iuncta, complicataque ſunt cum animæ eſſentia; vt nonnulli animam à vehiculo non ſecreuerint; ſed eandem eſſe cum altero eorum exiſtimauerint: cuius ſententiæ fuiſſe Ariſt. Cicero cenſuit, dum animam entelechiam eſſe affirmauit; ſed manifeſtiſsimè hallucinatus eſt. Gal. in 7. de Placitis Hippocratis, & Platonis cap. 7. dixit: Veruntamen ſi de animę ſubſtantia ſententia eſt proferenda, de duobus alterum dicamus, neceſſe eſt: vel ipſam eſſe fulgidũ hoc, ac quaſi æthereum corpus; ad quod aſſerendum, velint nolint, conſecutione, deſcendent Stoici, & Ariſt. vel ipſam incorpoream quidẽ eſſe ſubſtantia, vti tamen hoc corpore, tãquam præcipuo; quo vtique medio, aliorum corporum poſtea commercium habeat. Hæc admirabilis Gal. qui rectè tribuit Stoicis, vt putarent animam eſſe portionem ætherei, diuiniq; corporis: perperam tamẽ de Ariſt. aſſerit, eum cogi cõcedere, animam eſſe purum id corpus;

cum manifeſtiſsimè in libris de anima demõ-ſtrauerit, animam non eſſe corpus. Tertium vehiculum eſt terrenum hoc, & craſſum corpus; quod à Platone in Timæo, quaſi animæ vehiculum dictum fuit; & in Phædro vehiculum oſtreaceum fuit nuncupatum; à Plotino autem ſepulchrum animæ. De his tribus vehiculis ita decernit Plato, vt anima in oſtreaceo per breue tẽpus habitet, in aereo per multa ſecula, in æthereo ſiue igneo mox per omnia. Et quoniam in ſingulis vehiculis inſunt ſenſus, propterea cùm vehicula ſint diuerſa, vario modo in eis ſenſus reperiuntur: nam in æthereo eſt ſenſus communis, ſine perpeſsione; in ſpirituoſo communis, at cum perpeſſione; nam per vniuerſa huiuſmodi vehicula ſenſus eſt totus; in oſtreaceo demum reperitur ſenſus diuiſus per diſtincta ſentiendi inſtrumenta, & cum perpeſsione. Et quoniam ſenſus conſtituit animal, propterea ex tribus vehiculis tria conſurgunt ſubordinata animalia; ex quibus tamen vnum animal totum conſtitui poteſt: de quo verè enunciare valemus, partem eſſe maiorem toto; quia anima iuncta cum ſolo vehiculo æthereo, eſt potior aggregato ex omnibus. Vehiculum oſtreaceum cõtagionis morbo fœdat ſpirituoſum; ideo pro facultate nitendum, vt ſuperius ab inferiore eleuetur, ac ſecernatur. His tribus vehiculis Simplicius addit quartum; nam in procemio de anima, imaginatiuum, & ſenſitiuum, nun-

cupat

cupat diuinum animæ noſtræ vehiculũ. Conſiderandum tamen eſt, quòd vis imaginandi, & ſentiendi, rectiùs cum Ariſt. quàm cum Platone vehiculũ animæ rationalis nũcupari poteſt: quoniã ex opinione Ariſt. recipitur mens, ſiue rationalis anima in corpore, in quo priùs vis imaginãdi, & ſentiendi genita ſit; non quidem virtute rationalis animæ, nil enim ad earum virium generationem hæc confert; ſed virtute geniture; adeò, vt cum facultate imaginandi iam genita, copuletur anima rationalis, ſiue intellectus. Ex ſentẽtia verò Platonis, ab anima rationali inferiores vitæ producuntur, non tamen ſine elementis; & propterea à ſecundis Diis fieri dicuntur: id verò, quod ab alio producitur, & fluit, minùs propriè vehiculum eius nuncupatur. Cõſtat itaque, quid de vehiculis ſentiat Plato; qua de re qui vellet Ariſt. cum Platone conciliare; ſimul initia diſtincta, viasque diuerſas confunderet. Ariſtot. negat ſtellas eſſe vehicula animarum, & ab eis moueri; cùm in ſecundo de Cœlo pro facultate nitatur oſtendere, ſtellas ſolùm moueri ad motum orbis. Inſuper vehiculum ęthereum à ſpirituóſo diſtinctum non concedit, & vehiculum ſpirituoſum ſolum gigni exiſtimat in hoc craſſo corpore, & ſeorſum ab eo negat ſéruari poſſe. Demum non cenſet animas ſine inſtrumento, & craſſo corpore reperiri; vt maniſeſtiſsimè aſſeruit in 2. de anima 26. inquiens, animam non eſſe corpus; attamen non eſſe ſi-

ne corpore, & ſine corpore tali, hoc eſt phyſico, & inſtrumentario. Propterea Simplicius, & Philoponus manifeſtiſsimè aberrant: dum nituntur cum Ariſt. ſeruare animam cum ſpirituoſo vehiculo à craſſo corpore ſeiungi, & ſeorſum ſeruari.

*De Animæ deſcenſu.*

## CAP. XII.

CVm animæ rationales, perinde ac corporeæ formæ, non vna, vt perperam putauit Auer. ſed multæ numero ſint; per hoc tamen à reliquis numeroſis formis ſeiunguntur: quia reliquarum nullus eſt certus numerus: animæ verò rationalis, ex opinione Platonis, numerus eſt ita certus; vt nunquam plures, vel pauciores reddantur: Hæ nanque in origine mundi ex cratere denotante vitæ rationalis ideam, certo, eiſq; conuenienti numero prodierunt. Rectè nouit Plato rationales animas ab opifice creari, pluresque numero eſſe; à vero tamen eatenus receſsit, quatenus cenſuit ab æterno in certo numero fuiſſe creatas: ad quod exiſtimandum deductus fortaſſe fuit; primò, quia omne in tempore genitum exiſtimauit eſſe mortale; ſecundò, quia fortè minùs rectè intellexit ſentētiam illā Moyſis in Geneſi, quòd Deus perfecit omne opus, & in die ſeptima requieuit ab omni opere, quod patrauerat:

per

per quæ verba ſubindicare videtur, nil poſtea à primo opifice creari. Cuius opinionis etiam fuit Origenes, necnon Manichæi; qui tamen à vero longè receſſerũt. Animæ itaque, ex ſententia Platonis, ab initio creatæ, per ſtellas firmamenti fuerunt diſtributæ; procliuis eſt enim anima ad corpus, præſertim tamen ad id, quod purum eſt: & quoniam ſtellæ ſunt corpora lucida, perfecta, ſatis diuerſa ab orbe; ideò per animam propriam in ſuo loco reuoluuntur. Inſuper, quoniam ſtellæ ſunt diuerſæ conditionis, diuerſorumq; graduum; ideò animæ quoq; diuerſæ cõditionis ſunt: nonnullæ ſunt Martiales, aliæ Venereæ, quædam Apollineę, vel Iouiales, & ſic de cæteris: & propterеà deſcendunt ad formanda ea corpora, quæ proprio temperamento conditioni animæ reſpondent, & ad quod cõſtituendum per propriam ſtellam contulerunt. Dicuntur deſcendere per Cancrum, & aſcendere per Capricornum: nam Cancer eſt domicilium Lunæ, quę generationi deſtinata eſt; Capricornus eſt domicilium Saturni, & cõtemplationis, per quã anima eleuatur in cœlũ. Inſuper deſcẽdũt per Cancrũ; quia Cancer ſuo retrogrado motu ſignificat regreſſum à perfectione, & lapſum ad deterius: Aſcẽdũt per Capricornũ; quoniã eſt animal, quod ſua natura, & cornu ſuperna petit. Deſcendunt animę ob naturalem propenſionem, quam habent ad corpora, ſibi affectionum ſimilitudine conueniente proportione

reſpondentia : ea autem propenſio ex eo pendet; quoniam ſuperna, pro facultate, ſua munera aliis impartiuntur. Ea etiam propenſio ad corpora, à Platone in Menone nuncupatur antiqua miſeria animæ; hoc eſt conditio, per quam à primo principio anima recedit, & cũ corporea natura iungitur; ideo nuncupatur culpa conditionis animæ, cuius tenetur dare pœnas, proportione reſpondens peccato originali: quod eminùs Plato conſpexit, ideo dixit in Menone; Quicunque enim pœnas antiquæ miſeriæ Proſerpinæ iam dederunt, iis illa ad ſupernum Solem, nono anno rurſus animam reddit, &c. Inſuper deſcendunt animæ, fœtuiq́ue terreno inſinuantur cum tonitru, & terręmotu; hoc eſt, cum cœli, & terræ trãſmutatione, magnoq́ue conatu eorum, & cum ſigno futuræ miſeriæ. Dum anima cum materia, mortaliq́ue corpore copulatur, ac in fabrica corporis eſt occupata; iure dicitur deguſtare aquam fluminis Amelitæ, hoc eſt negligentiæ, quoniam diuina negligit: & dicitur verſari, ac dormire in cãpo Letheo, hoc eſt obliuionis; quoniam cùm progrediatur, & à ſe recedat, ſuimet, ac etiam diuinorũ obliuiſcitur: dicitur recumbere, quia ad corpus eſt conuerſa; non in ſe, non in leges prouidentiæ, nec in ſupernam mentem erecta. Dum anima iuncta cum ſuo principio vitam viuit intellectualem, & vnà cum anima mundi in attinentibus ad vniuerſum ſollicita eſt; integra, & abſolutiſsima

ma

ma eſt: At, dum omiſſa contemplatione, in fabrica corporis per infimas eius facultates verſatur; ex maxima, redditur minima; ex diuina, mortalis; ex nitidiſsima, obſcuriſsima; ex ſapientiſsima, inſipientiſsima; ex libera, variis compedibus deuincta: & demum, ex ſiuiente, mortua: ac, vt mortua in corpore, tanquam in ſibi per naturam à ſe cōſtructa ſepultura continetur, & clauditur; vt mox receptis alis, reſeratoq́; tegmine, bombycis exemplo, egrediatur, & volet in cœlum.

*Quomodo Anima ſit in corpore.*
*Et de ſede eius.*

## Cap. XIII.

ANima, quæ mediæ naturæ, & conditionis eſt; ad ſupera, ad infera, & ad ſeipſam referri poteſt. Dum ad ſupera, nempe ad mentem, refertur; in eam conuerſa formatur, terminatur, & vim quandā recipit, quæ frequenter nomine mentis, & intellectus honeſtatur; per quam cum primo principio iungitur, ſupra motum, & tempus eleuatur, ac in æternitate degit. Dum ſecundò anima in ſemetipſa conſideratur, iam modo aliquo actum habet cum potentia permixtum, cum ſucceſsione ratiocinatur, & poſt idealem verus rationalis homo eſſe dicitur. Demum conſiderata, vt vergens ad corpus, in illud vitam, quaſi actum animæ effundit: quæ eſt tanquam idolum, & imago animæ, ab ani-

ma diſtincta; pendens tamen ab ea in productione, & cōſeruatione: & quoniam animæ eſt imago, ideò frequenter nomine animæ deſignatur. Anima rationalis non eſt forma proximè formans corpus inſtrumentarium (non enim hoc conuenit rei diuinæ, & immortali) ſed ea vis diffuſa ab ea, eſt actus, & forma corporis; quo corpore ita formato vtitur anima, vt artifex inſtrumentis ſuis. Ideo Proclus dixit animam mediare inter vitam circa corpora extenſam, & mentem. Ob id etiam Simplicius in libris de anima frequenter facultates, & vires animæ diſtinguit in vtētes, & formantes. Rectè ſentit Simplicius, tradēs diſtinctionem illam: fallitur tamen, quâtenus ea vtitur pro explicando Ariſt. cùm tamen Ariſt. hac de re longè ſecùs ſentiat. Nam Ariſt. facultatem formantem ab vtente nō ſecernit: ſed eiuſdem facultatis eſſe cenſet, inſtrumentum formare, & eo vti; ideo animam abſolutè aſſerit eſſe actum corporis. At rediens ad Platonem aſſero, abſolutè perfectam, veramque vitam in mente vigere; in anima verò recipi vim quandam eius vitæ, à mente ei tributam: Inſuper, in anima vigere perfectè animariam vitam; in corpore verò vmbram, & veſtigium eius: propterea ea corporis, poſtrema vita nuncupatur. Vita poteſt dici poſtrema tribus modis: primò, in ordine ad gradus animæ; ſic ea virtutis nutrientis, dicitur poſtrema: ſecundò, in ordine ad gradus, & diſpoſitiones animæ rationalis;

lis; in qua conſideratione intellectus progreſſus,ac imperfectus, ſæpe à Simplicio dicitur vita poſtrema: tertiò, facta comparatione inter animam, & eius vmbram; & ſic eam vitam ab anima manantem, in corpore receptam, & extenſam,poſtremam vitam nũcupamus; quę poſtrema vita, quamuis fluat ab anima, nõ tamen producitur ſine corporeis principiis. Dũ inuicem comparãtur anima, & vita in corpore extenſa; quia anima à corpore non pendet, ideo non diuiditur ad diuiſionem eius; ſed vbi eſt, tota eſt. Vita verò in corpore recepta, quia etiam à corpore pendet, verè eſt extenſa; & eſt tota in totò, & pars in parte. Animæ non conuenit propriè ſedes, vt corpori; neque etiam, vt formæ corporis à corpore pendenti; ſed ſolùm per quandam ſimilitudinem ei ſedes aſsignatur. De qua loquens,aſſero primò, omne vehiculum animæ poſſe modo aliquo iudicari ſedem eius; præſertim tamen vehiculum illud,quod animę eſt magis familiare. Sic ſtella, vehiculum æthereum, ſpirituoſum, & oſtreaceum,ſeruato conuenienti ordine, ſunt ſedes animæ. At facta comparatione in oſtreaceo vehiculo inter partes eius; caput, & capitis cerebrum,eſt ſedes animæ rationalis,& ſenſuum,qui eius ſunt familiares, eique proximè famulantur; cor verò, iraſcibilis; iecur,facultatis concupiſcibilis eſt ſedes; qua in re præſertim Plato ſectatus eſt Pythagoram, & Hippocratem. Suam ſententiam protulit Plato, cùm

in Rep. tum maximè in Timæo: nam præter cætera inquit in Timæo, loquens de medulla: Poſtea verò ſerens in ea, ſcilicet medulla, animarum genera alligauit. & poſt pauca; Et illá medullæ partem, in quam, velut agrum quendam, diuinum ſemen iaciundum erat, globoſam, & vndique teretem finxit; atque ἐγκέφαλον, id eſt cerebrum, idcircò voluit nominari; quia, vnoquoque animali denique abſoluto, vaſculum cerebri capax κεφάλαιον, id eſt caput, vocandum erat: quod autem reliquas mortales animæ vires compræhenſurum erat, rotundis ſimul, oblongiſque figuris ornauit; totumque medullam voluit nominari; atque ex iis quaſi quibuſdam ancoris, iaciens totius animæ vincula, circa illas iam vniuerſum noſtrū corpus abſoluit, oſsiumque textura extrinſecùs eas fulciuit, &c. Ex his conſtat Platonem præſertim animam in medulla, & in cerebro collocaſſe: hinc etiam geniturам, tanquam medullam, eſſe cenſuit: pariter de capite dixit, id eſſe habitaculum rei diuiniſsimæ, & ſacratiſsimæ: inſuper, caput eſſe habitaculum partis animæ immortalis, pectus verò mortalis. Sed magna eſt confuſio in dictis Platonis. Primò, quia ſi medulla eſt ſedes animæ immortalis, & æternę; quomodo pectus dicitur ſedes animę mortalis? Præterea, ſi vis ſentiendi viget in capite, quomodo in eodem Timęo dixit; Tenduntur à lingua venæ ad cordis ſedem, ſaporum nunciæ? Præterea, ſi Plato vim nutriendi cenſuit

eſſe

eſſe poſitam in iecore, quomodo dixit in Timæo; Cor verò venarum originem, fontemq́; ſanguinis per omne corpus impetu quodam manantis, in ſtipatorum regione ſuſpendere voluerunt, &c. hæc enim inter ſe valde pugnare videntur. Ad hæc dico; Medulla eſt ſedes, ratione originis; quoniam ea ex ſemine oritur, & eſt origo fundamenti noſtri corporis; nempe neruorum, & oſsium, & modo aliquo cæterarum partium; non tamen ſine ſanguinis concurſu: & quoniam præcipua medulla ac initium àliarum, eſt cerebrum; ideo pręſertim in capite anima collocata eſſe dicitur. Propterea Plato in Timæo ſemen dixit eſſe medullam; quæ à capite per ceruicem, & ſpinam deriuaretur. Pectus eſt ſedes partis animæ mortalis, ratione inſtrumentorum eius: Plato enim, dum dixit vim nutrientem eſſe in epate, iraſcibilem in corde; ad inſtrumenta præſertim reſpexit, & ad ſanguinem, ſiuę magis, ſiue minùs ſpirituoſum; quo anima vtitur in fungendis muneribus nutritionis, & facultatis iraſcibilis, vt Enneade 4. lib. 3. cap. 23. dixit Plotinus. Nec Plato diuulſit, & ſecreuit partes animæ; ſed vitæ, & imaginis eius; quatenus vnicuique parti corporis dedit facultatem ei conuenientem. Ad aliud, dum inquit Plato, tendere à lingua venas ad ſedem cordis, ſaporum nuncias; quę etiam fuit ſententia Ariſt. in lib. de partibus animal. dico ad hoc, in capite vires ſenſuum exerceri magis ſpiritales, ma-

giſq́ue familiares rationi; in pectore verò, vires minùs ſpiritales: in cerebro ineſſe ſenſus, vt comitantur rationem; in pectore verò eſſe ſedem eorum, vt conueniunt vitæ, & idolo animæ: inſuper, quoſdam ſenſus eſſe in capite: vt in inſtrumento proximo; in pectore, vt in primo, & præcipuo fundamento. Et hoc eſſe verum, ex eo patet: quia Plato in Timæo agēs de auditu, inquit vocem eſſe pulſationem ab aere, per aures, cerebrumq́ue, & ſanguinem, vſque ad animam penetrantem: & motionem incipere à capite vſque ad ſedem iecoris. Sic itaque, varia cōſideratione & caput, & pectus dicitur ſedes ſenſus. Ad poſtremum, dum Plato inquit cor eſſe venarum originem, & fontem ſanguinis; & propterea non iecur, ſed cor eſſe ſedem animæ nutrientis: Ad hoc rectè reſpondet Gal. in lib. 6. de Placitis Hipp. & Platon. cap. 9. Platonem per venas denotaſſe arterias; vt frequens apud Hippocratem, & antiquos cōſuetudo fuit. Colligamus itaque cum Platone, ſedem præcipuam animæ eſſe caput: in eo enim reperitur illá, quæ propriè eſt anima, & quæ eam comitantur: Pectus eſſe ſedem vmbræ, & idoli animæ; & eſſe ſedem, ratione inſtrumētorum ei primò inſeruientium: Medullam demum eſſe ſedem, reſpiciendo magis ad originem animæ, & ad eius effuſionem per vniuerſum corpus: quatenus medullam cenſuit Plato eſſe initium cæterarū corporis partium; quàm ad propriè ſumptam ſedem.

*Compa-*

## *Comparatio inter Ariſt. & Platonis opinionem.*

### CAP. XIIII.

HOc in loco cõſpicuè patere poteſt, quàm inaniter laborent, qui Ariſt. cum Platone conciliare nituntur: nam in attinentibus ad ſedem animæ,in plurimis re vera diſſentiunt. Primò ab Ariſt.carpitur Plato in 2. de partibus animal. cap. 7. quia aſſeruit cerebrum eſſe medullam; cùm tamen medullæ,& cerebri oppoſitum ſit temperamentum. Sed ad hoc dicendum cenſeo, Platonem latè vſum fuiſſe nomine medullæ: cerebrum dicitur medulla, ratione ſimilitudinis, & alicuius conuenientiæ; quatenus intra os continetur, & initium eſt medullæ dorſi: propterea etiam apud Galenũ medulla triplex ponitur:prima cerebri; ſecunda ſpinę, quæ cerebri quædam eſt propago, vt dicitur in 10. de Placitis Hippo. & Platonis; tertia oſſium reliquorum. Inſuper carpitur,cùm in cerebri medulla Plato videatur collocare facultatem animæ cognoſcentem: ideo inquit Ariſtot.in 2. de part.animal. cap 7. Nullam verò cum partibus,quæ vim habent ſentiendi,continuationem habere cerebrum, cùm intuitu patet, tum maximè inde conſtat; quòd cùm tangitur, nullum efficit ſenſum; quemadmodum nec ſanguis, neque excremẽtum vllum, &c. Ad hoc reſpondeo pro Platone, cerebrum non ita eſſe ſedem, vt cerebrum cognoſcat, &

ſentiat: manifeſtè enim Plato de auditu loquens dixit voces per aures, cerebrumque, & ſanguinem tranſire ad animam, & ita ſentiri: ſolùm dixit medullam eſſe veluti agrum, in quo diuinum ſemen iaceretur, ob cauſſam ſuprà relatam. Inſuper arguitur Plato, quatenus ſemen ex medulla, medullamque ex ſemine oriri dixit: aduerſus quem inquit Ariſt. in 2. de partibus animalium: Medulla natura quædã ſanguinis eſt; non, vt quidam volunt, vis genituræ ſeminalis: patet hoc in his, quæ nuper in lucem prodierint; medulla enim in oſsibus quoque eorum ſanguinea continetur, &c. Sed leuis eſt inſtantia Ariſtotelis: quia quamuis medulla ex ſemine fiat, non tamen fit ſine ſanguinis concurſu; per quem creſcit, & ſanguinea in ortu conſpicitur. Inſuper, cùm Plato dicat ſemen eſſe medullæ defluxum; profectò non Platonis ſolùm, ſed etiam modo aliquo Hippocratis ante Platonem fuit ea ſententia, vt manifeſtè patet ex lib. eius de ſemine. Carpitur quartò ab Ariſt. Plato in tertio de anima: quia animæ appetitiones diuulſit, & in variis corporis partibus varias collocauit: appetitũ alimenti in iecore; appetitum vindictæ, honoris, & ſimilium, in corde; voluntatem, in cerebro. Pariter carpitur, quòd loco ſeiunxerit partes animæ. Sed facilè eſt Platonem tueri: nam Plato nõ propriè ſecreuit partes animæ, ſed ſolùm ſeiunxit inſtrumẽta, ac inſuper partes imaginis animæ; ac demum ſecreuit imaginem,

ginem, ſiue idolum animæ, à propriè ſumpta anima. Et quòd Plato non propriè ſecreuerit partes animæ, ex eo præſertim conſtat; quia animam cēſuit eſſe in quauis parte totam. Sic rectiùs Plato vim nutriendi collocauit in epate, quàm fecerit Ariſt. qui eandem in corde eſſe poſitam cenſuit. Poſtremò, ex ſententia Platonis, membrum præcipuum abſolutè, eſt caput, ideò diuiniſsimum nuncupatur; ex opinione Ariſtot. membrum præcipuum, & ſedes abſoluta animę, eſt cor. Nam Plato ad propriè ſumptam animam reſpexit, non ad idolum, & imaginem eius: Ariſto. è contra vnum ab altero non diſtinguens, & præſertim ad idolum, & vmbram reſpiciens, à Platone rectè ſentiente diſſentit.

# STEPHANI THEVPOLI, BENEDICTI F. PATRITII VENETI,

## *ACADEMICARVM Contemplationum,*

## LIBER QVINTVS.

### DE ANIMA MVNDI, ET Sphærarum.

*Mundum eſſe animatum.*

CAP. I.

NIl in corpore eſt pretioſum, nil illuſtre, & prçclarum ſine vita; nec vita vlla, ſine anima cõſiſtere valet. Cùm itaque vniuerſi corpus, omnium conſenſu, ſit præſtantiſsimum; iure merito anima præditum iudicari debet: & ea quidem præſtantiſsima. Plurima conſpiciuntur corpora, quæ cùm ſint vniuerſi particulæ ſatis obſcuræ, & viles; attamen ſunt anima prædítæ: quare inſipientis eſt putare mundum, quod eſt corpus abſolutiſsimum, & vniuerſum, anima carere. Plurima in

mundo

mundo apparent opera vitalia; omnes eius partes dicuntur plenæ anima; eſt itaque mundus anima, & ea quidem præclariſsima decoratus. Nec ſecùs profectò ſeſe habere poteſt: nam quomodo vniuerſum continenter ex ſe in orbē cieretur, niſi in eo anima reperiretur, quæ motus eius eſſet principium? Quomodo differentiæ poſitionis, & præſertim dextrum, & ſiniſtrum, ei conuenirent, ſi anima careret? Quomodo propria clauderetur figura, niſi à præcipua aliqua, ſibique propria anima terminaretur? Ac demum, qua ratione homo diceretur mundus paruus; præſertim, quia in eo anima dominatur, cuncta mouet, & rectè diſponit; niſi etiam in magno vna anima, vnaque vita, cuncta ligans, & diſponens inueniretur? Prætereà, cùm mundus ſit vnus; cùm mirus in eo, ac in eius partibus appareat conſenſus; cùm omnia in eo accuratiſsimè perficiantur, quæ per opificis prouidentiam diſponuntur; & hæc ſine communi anima ſeruari non poſsint; iurè anima mundi concedenda eſt. Propterea rectè Stoici mundi animam poſuerunt: errarunt tamen, quia nil ſupra corpus excogitantes, animam quoque eſſe corpus exiſtimarunt. Rectiùs Plato poſt Deũ, & Mentem, Animam mundi reperiri aſſeruit, à Mente, & Deo diſtinctam; & vſque ad eam, diuinitatis conditionem deſcendere cenſuit, vt in epiſt. aſſeruit. Propterea etiam rectè in Philebo dixit; Mundi corpus animam habere

neceſſe eſt, cùm contineat ea, quæ noſtrum continet corpus, & præſtantiora. Proclus etiã in Timæum aſſeruit; Opifex omnium, componens vniuerſum hoc, animans eſſe voluit; anima, & intellectu præditum: nam pulchrius exiſtimabat eſſe animatum quodcũque, quàm inanimum; intellectuque præditum, non intelligente. Diuinus Iamblicus in lib. de Myſteriis affirmauit Mundum eſſe animal; in quo partes, quamuis loco diſtãtes, tamen propter naturam vnam inuicem ad ſe feruntur. Hanc mundi animam eleganter ſimul, & doctè Platonicus Poeta deſcripſit inquiens:

*Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus*
*Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*

*An Mundi Anima diſtinguatur à* DEO.

## CAP. II.

Conuenere profectò illuſtriores Philoſophi in ſtatuendo mundo animato. Verùm quænam ſit hæc mundi anima, & quomodo ſe habeat ad Deum, nõ eodem modo explicarunt. Nam, vt cæteros prætercam, Ariſt. animam Mundi minimè ſeiunxit à Deo: ipſe enim in octauo Phyſic. & in 12. Metaphyſ. Deum ſtatuit motorem primum: illum in 8. Phyſ. 84. in 12. Metaph. 43. nuncupauit motorem totius, quatenus ab eo pẽdet motus diurnus, qui per vniuersũ diffunditur; nec vnquam in cœlo, vel in vniuerſo, com-

communem aliam vitam reperiri indicauit præter eam, quæ à Deo effunditur. Hinc conſtat erraſſe eos, qui putarunt Ariſt. animá mundi à Deo diſtinctá poſuiſſe, & ſolùm in verbis eſſe litem inter Ariſt. & Platonem; falluntur, inquam, manifeſtiſsimè. Quoniam ſi conceditur cum Ariſt. anima mundi, ea profectò nõ pendet à materia; alioquin non eſſet æterna: ſi à materia non pendet, neceſſariò eſt intelligentia aliqua; quoniam apud Ariſt. forma non pendens à materia, eſt verè, & abſolutè intelligibile; omne tale eſt intelligentia, vt dicitur in 3. de anima 16. non enim animam à materia ſeiunctam diſtinguit ab intelligẽtia: ſi itaque anima vniuerſi non pendet ab vniuerſo, erit intelligentia vniuerſi; huiuſmodi autem communis intelligentia, ex opinione Ariſt. eſt ſolus Deus. Pariter Strato, & Chryſippus, vitam per vniuerſum effuſam dari confitentur; ſed eam eſſe Deum affirmant: cuius ſententiæ videtur fuiſſe Poeta, dum ita cecinit:

*Deum nanq; ire per omnes*
*Terrasq;, tractusq; Maris, Cœlumq; profundum.*
*Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,*
*Quemq; ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.*
*Sic Iouis omnia plena.*

Ac, vt dicebat Seneca, Deus eſt, quodcunque vides, & quod non vides. Ex aduerſo Plato aſſerens dari animam mundi, cẽſuit eam à Mente, & à Deo eſſe diſtinctam; mẽtis tamen ſummopere eſſe compotem. Aliam enim Plato A-

nimæ, aliam Mentis, & Dei conditionem eſſe nouit. Anima ſeipſam mouet, cum corpore iũgitur; eſt pars conſtituti ex ea, & corpore; eſt creata; & ex eodẽ cratere educta, ex quo mox animæ hominum prodierunt; quæ nec Menti, nec Deo nata ſunt conuenire. Colligamus itaque dari animam mundi: addamus, eam à Deo eſſe diſtinctam. Vt verò appareat, quomodo ad reliquas animas ſe habeat; dicamus & animæ mundi, & hominũ eandem eſſe ideam; & propterea ex eodem cratere dicuntur eductæ; crater enim, vt dictum eſt in præcedentibus, denotat vitæ rationalis ideam. Dicamus inſuper, animam mundi eſſe primam illius ideæ participationem: hinc cæteræ animæ dicuntur ortæ ex reliquiis præcedẽtis commixtionis: nam ſola puritate, & impuritate ab anima mundi diſtinguuntur. In hac ſignificatione eſt vera ſententia Plotini; qui dixit, animas in ſua vnitate, & radice conuenire; conueniunt enim in ſua idea.

*Qualis ſit Anima mundi.*

## CAP. III.

VT mundus eſt animans præſtantiſsimum, vt eius corpus omni corporis perfectione eſt cumulatiſsimè præditum; ita eius anima, non humilis, ſed præſtantiſsima cenſeri debet. Cùm verò præſtantiſsima ſit, maximè debet eſſe cũ mente complicata, à qua omnis animæ rectitudo duci-

ducitur: non autem maximè cum mente complicaretur, niſi eſſet ratio pura, non permixta cum ſecundis vitis, non extra ſe progrediens, non declinans ad corpora. Eſt itaque anima mundi pura ratio, in ſe manens; ita ſe habens ad corpora, vt corpora ſint eius, non autem ipſa corporum. Et quoniam omnis anima eſt vbique tota, ideo etiam anima mundi meat per omnia, & vbique tota ſeruatur; ac vbique apparent opera illi parti mundi conuenientia; nam in cœlo cœleſtia, in terris terrena refulgent; præſertim tamen à Platone dicitur in medio collocata, vt appareat eam æquè diffundi per omnia, & non magis ab vna, quàm ab alia parte diſtare. Per hanc mundi animam ſingulæ mundi partes viuunt: non enim rationi eſt conſentaneum, vt in paruis animalibus viuant partes omnes; in magno autem, & præſtantiſsimo non viuant omnes. Nec propterea putandum eſt, cæterorum animas eſſe portiones animæ mundi; iam enim hæc ſententia reiecta eſt in præcedentibus; ſed eſt aſſerendum, vniuerſo, & eius partibus, vt partes ſunt vniuerſi, vnam conuenire animam; ratione verò propria, conuenire gradibus animalium animas diſtinctas. Non deſunt ex Platonicis, qui animam mundi eſſe eandem cum anima firmamenti exiſtimarunt; & propterea ab ea aſſerunt prouenire motum diurnum, qui totius vniuerſi quodammodo eſt: quam opinionem quamuis cēſeam

probabilem, probabiliorem tamen iudico alteram, quòd ab ea diſtinguatur: vt Ficinus, & multi ex Platonicis exiſtimarunt. Hanc de anima mundi ſententiam fortaſſe ex illis verbis Geneſeos Plato deſumpſit, dum dicitur; Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas: nam aquæ apud Ægyptios materiam denotabant, ſpiritus verò animā. Propterea Plotinus mundi animam dixit eſſe animam primæ materiæ; quæ eadem eſt in cælo, & in orbe mortali. Sed Plato diſtinguens Dei ſpiritum, ſiue animam mundi à Deo, à recta verborum Moyſis ſignificatione receſsit. Vt verò clariùs appareat, quomodo hæc anima ad mundum ſe habeat, & quomodo per eam mūdus viuat: cum Proclo præſtantiſsimo Platonis interprete dicamus, vniuerſum triplici vita eſſe donatū; corporea, animaria, intelligente. Vt enim ab hominis anima manat vita quædam, quaſi idolum, & imago eius, quę per corporis partes diffunditur; ita à mundi anima in mundi partes vitam manare cenſendum eſt. Et inde euenit vt triplicem illam in mundo vitam conſiderare valeamus: datur enim vita ei conueniens, ratione participationis mentis ab anima; datur vita animæ propria; & demum vita effuſa per corpus. Vita prima, quæ intelligens eſt, indiuidua eſt penitus, in æuo manens, ſempiternaque exiſtens, immobilis, ac ſimul omnem intelligibilem naturam comprehendens: Vita poſtrema effuſa per corpus, diuidua eſt, cum

tem-

tempore, & motu maximè complicata ; ita tamen eſt cum corpore permixta, vt vndique commeare dicatur: Vita animaria media eſt: circumuolat enim, ambitq́; corporis molem, extra exiſtens, & conditionibus extremorum medio modo participat. Hâc mundi animam denotauit Plato in Phędro, inquiens: Magnus vtique Dux in cœlo Iupiter, citâs alatum currum, primus incedit, exornans cuncta, prouideque diſponens: Hũc ſequitur Deorum, Dæmonumque exercitus, per vndecim partes ordinatus, &c. & in Philebo inquit; Ergo in Iouis ipſius natura regiam animam, regiamque mentem ineſſe propter vim cauſſæ confiteberis, &c. Eadem mundi anima à Platone, in 10. de R.P. Neceſsitas, vel potiùs Dea neceſsitatis nuncupatur; quia inuiolatas ſeruat leges, ſibi per Dei prouidentiam præſcriptas : à Plotino nonnunquam nomine Veneris denotatur: ab Apuleio nuncupatur fons animarum, at profectò minùs rectè; non enim ea propriè eſt fons animarum, ſed potiùs prima ideæ animæ participatio.

*De Fato.*

## CAP. IIII.

DVo ſunt præcipua opera animæ mundi, contemplatio, & mũdi adminiſtratio : propterea, Iani inſtar, duplici facie dicitur donata; ſuperna vna, altera inferna : quæ duæ facies inter ſe comparatæ, ita ſe habent ; vt ſupera iungatur

cum mente,infera conuertatur ad corpus; ſupera dirigatur à mente,infera dirigat corpora; ſupera concipiat, rationesq́ue recipiat, infera pariat; ſupera indiuiduè & ſimul operetur,infera cum ſucceſsione & tempore; ſupera degat in æuo,infera in tempore. Et quoniam Anima mundi proximè ſuccedit Menti, à qua prouidentiæ leges recipit, cui prouidētiæ ſuccedit Fatum; ideo in anima mundi fatum obtinet principem ſui ſedem. Fatum ducit ortū à Prouidentia, deſinit in Naturam: Prouidentia pertinet ad mentem, Natura ad corpora, Fatum inter vtramque medians propriè ad animam mundi pertinet. De Fato variæ fuerūt Philoſophorum ſententiæ: ego tamen cum Platone aſſero, Fatum eſſe immutabilem in anima mundi rerum mobilium diſpoſitionem; & propterea frequenter ea anima nuncupatur Dea neceſsitatis. Pro cuius clariori explicatione conſiderandum eſt, in Mundo quatuor inueniri ſubordinatos ordines; qui omnes nomine legum merentur honeſtari: primus eſt ordo Prouidentiæ, ſecundus Fati, tertius Naturæ, quartus Prudentiæ: Ex quibus ordinibus conſurgunt primò leges Prouidentiæ,mox leges Fati, ſequuntur leges Naturæ, poſtremæ demum ſunt leges humanæ prudentiæ;quæ potiùs ſunt vmbræ,quàm verè leges;quę eatenus firmæ, & rectę ſunt,quatenus cum præcedentibus conformantur. Ex quo cōſtat veros, præcipuosq; legū indagatores,

res, nõn eſſe eos, qui quarto legum ordini nauant operam; quamuis illi ſoli ſe tales prædicent, ac profiteantur; ſed eos, qui præcedentibus incumbunt, & ad eos conuertuntur. Conſtat inſuper, neminem poſſe exactè intelligere leges poſtremas, niſi cognoſcat & primas, à quibus cõuenienti ordine ducuntur. Et quoniam primæ à Philoſophis cõſpiciuntur; propterea rectè dixit Plato, tunc ſolùm vrbes fore beatas, dum Philoſophi regnabunt; ipſi enim ex primis principiis rectas valent deducere leges, & ex viuis fontibus aquas humanæ vitæ nutrices valent haurire. Fatum itaque præſertim in anima mundi, ſedem habet. Et quoniam animæ mundi, tanquam duci, ſubordinantur animæ ſphærarum, cœli, elemẽtorum, & hominis; ideo mox fatum in hac vniuerſa cauſſarum ſubordinatione collocatum eſſe dicitur, & nũcupatur ordo, & nexus cauſſarum ſupra naturam poſitarum.

*An Plato, & Ariſt. de Fato conueniant, & an omnia Fato fiant.*

CAP. V.

ASſerunt nonnulli Ariſtotelem de fato idem cum Platone ſentire, ſed ſummoperè falluntur. Ponit Plato fatum medium inter Prouidentiam, & Naturã: fundamentũ ſuæ ſentẽtiæ eſt; quoniã inter mentẽ, & formã in materia extẽſam, mediam poſuit animam rationalẽ à materia non pendentem; qualem eſſe dixit animam mũdi,

ſphærarum, Dæmonum, & hominis. Ariſtoteles hoc medium non poſuit; ſed omnem formam à materia pendêtem, dixit eſſe naturam; non pendentem verò à materia, mentem, & propriè intelligibile nuncupauit: Propterea fatum in idem venire cenſuit cum natura; & ab ea, ſola ratione diſtingui. Natura enim futura reſpicit; fatum præcedentia: dicitur natura, vt intrinſecùs rem conſtituit; & eſt initium operationum, & motus eius: nuncupatur fatum, vt id per diuinam prouidêtiam eſt conſtitutum, ab ea dirigitur; & à primo principio quaſi mandatum, & ordinatum eſt: Propterea fatum ſignificat ordinem, & nexum cũ antecedentibus cauſsis; natura verò minimè. Natura itaque, & fatum, re ſunt idem, & ſola ratione diſtinguuntur. Hinc euenit, quòd Ariſtoteles de fato mentionem fecit; de eo tamen, quid ſit, non diſſeruit: quoniam explicato ordine diuinæ prouidentiæ in 12. Metaphyſicor. explicataq; natura, ſunt explicata omnia pertinentia ad fatum. Quòd autem re idem ſit cũ Natura, nobis manifeſtauit in quinto Phyſic. cont. 57. inquiens: Sunt igitur & generationes quædam violentæ, & non fato determinatæ; quibus contrariæ ſunt eæ, quæ ſecundùm naturam, &c. Manifeſtat his verbis Ariſtoteles, non eſſe ſecũdùm naturam, & non eſſe fato, in idem venire: quare pari ratione fato, & natura fieri, re idem ſunt; vt rectè Alexander in libro de Fato explicauit. Patet itaque, re vera eos diſſen-

diſſentire. Sed duo occurrunt conſideratione digna: Vnum eſt, an omnia, quæ fiunt, fato fiant: Alterum, an quæ fiunt fato, fiant neceſſariò. De primo agens, apparet ex ſententia Platonis, omnia fato fieri; quoniam ex eius opinione, nil ſubterfugit Diuinam prouidentiam, vt in proprio loco apparuit: omnia itaq; cum Diuina prouidētia fiunt; & quæ ita fiunt, fato fiunt: omnia itaque fato fieri, cenſendum eſt. Præterea, omnia pendent ex pręcipuarum cauſſarum ordine; & quæ ex huiuſmodi iuncta cauſſarum ſerie proficiſcuntur, fato fiunt; quare omnia fiunt fato. Ad hoc reſolutè dico, ferè omnia in vniuerſo fieri fato: quòd autem abſolutè omnia ita fiant, minimè verum eſſe. Fieri ferè omnia fato, ex eo conſtat: quoniam ſi conſideramus pertinentia ad cœlum, pertinentia ad communem ordinem rerum; hæç ſemper eodem modo legibus fati ſeruantur, & fiunt: ideo omnia fato, diuinaque prouidentia fieri, cenſendũ eſt. Inſuper, ſi conuertimur ad ea, quæ apud nos fiunt, ferè omnia per naturam fieri conſpicimus; facta autem per naturam, etiam fato dicuntur eſſe genita, cùm natura fato ſubordinetur. Demum, ſi ad humanas actiones conuertimur, in eis magnam vim habere cognoſcimus propenſionem naturæ, per quam plurima ab homine fieri manifeſtiſſimè iudicamus. Iure itaque aſſerui, ferè omnia in vniuerſo fieri fato: non tamen omnia abſolutè dicuntur fato fieri. Primò, quia non-

nulla violentia, & præter naturam fiunt, vt de interitu frequẽter euenit; quod Virg. loquens de morte Didonis manifeſtauit, inquiens:

*Sed quia nec fato, merita nec morte peribat.*

Inſuper multæ, ex humanis actionibus fato non fiunt; ſed contra naturæ propenſionem, & liberè ab homine proficiſcuntur. Propterea iure dictum eſt, nonnulla fato non fieri. Sed hoc dignum eſt conſideratione, quòd quamuis hæc, quæ dixi non fieri fato, re vera proximè fato non fiant: attamen modo quodam ſubiiciuntur fato, & ad fatum rediguntur. Ratio eſt; quoniam hæc omnia pendent, vel ex hominis libertate, vel ex contingentia, & impotentia materiæ: at quòd talis ſit conditio hominis, & primæ materiæ; ex fato, & prouidentia pendet: ideo cùm hęc proximè non dicantur fieri fato; remotè tamen, & ratione ſuæ communis conditionis, ſub fato collocantur: & quamuis reſpectu vnius, vt puta inclinationis corporis, non fiant fato; tamen fiunt fato reſpectu alterius. Quam diſtinctionem cùm non conſiderauerit Pōponatius, manifeſtiſſimè eſt hallucinatus: ex eo enim, quòd ratione communis conditionis principiorum, quæ ex ſerie fati, & prouidentiæ pendet, cuncta dicũtur ſubiici modo aliquo fato; colligebat abſolutè, & penitus fieri fato: adeò, vt etiã ineuitabiliter fierent. Ad rationes, quib. oſtẽdebatur omnia fieri fato, facile eſt reſpõdere. Ad primã, dũ dicitur nil ſubterfugere diuinã ꝓuidentiã, reſpon-

reſpōdeo, id poſſe intelligi dupliciter: primò, q̄a abſolutè p̄ diuinā ꝓuidentiā conſtitutū ſit, vt res ita fiat;& hoc non eſt dicendū:nā inquit Plato in Timæo, opificē oſtendiſſe animis vniuerſi naturam, legesq́; fatales edixiſſe, vt mox culpa eligētis eſſet. Altero modo intelligi poteſt, omnia eſſe ſub diuina prouidētia; quatenus omnia, vel ita fieri per eā ſtatuitur, vel ita fieri permittitur: & in hac ſignificatione, nil eā ſubterfugit. Demum nil eam ſubterfugit, ratione initiorum contingentiæ; quæ per diuinam prouidentiam conſtituta, & ordinata eſſe dicuntur. Ad alteram rationem, dum dicebatur omnia pendere ex ſerie, & ordine cauſſarum, ſolutio patet ex dictis: omnia enim ex eis pendent; vel ratione conſtitutionis principiorum contingentiæ, ſunt enim contingentię principia per diuinam prouidentiam ordinata; vel ratione permiſsionis, vt dictum eſt. Hac de re Ariſtoteles non diſſentit à Platone; nam pariter Ariſtoteles ferè omnia per naturam fieri affirmat: non tamen omnia, ſed nonnulla aſſerit fieri non fato, vt in quinto Phyſic. 57. pariter nonnulla liberè ab homine fieri, vt in libris de Moribus manifeſtauit.

*An quæ fiunt fato, fiant neceſſariò.*

CAP. VI.

FAtum frequenter à Platone cum neceſsitate eſſe coniunctum manifeſtatur. Nam mūdi anima, ad quam præſertim pertinet fatum, nuncupatur

Dea neceſsitatis: inſuper in 12. de Legibus, decreta fati lignis ad ignem contortis dicuntur ſimilia, vt indicetur ſecùs diſponi non poſſe: fuſus quoque Deæ neceſsitatis dicitur ex adamante conſtare, vt id ipſum manifeſtetur; & iurè quidẽ, nam fatum dicitur, quaſi Dei mandatum, & ineuitabile aliquid: propterea Homerus in 6. Iliad. cecinit:

*Non eſt, qui fixas Parcarum auertere leges*
*Effugere aut poßit.*

Et Seneca in Tragœd.

*Primusq́ dies dedit extremum.*

Et Manilius in 4. Aſtrologicorum.

*Fata regunt orbem, certa ſunt omnia lege,*
*Longaq́ per certos ſignantur tempora curſus,*
*Naſcentes morimur, finisq́ ab origine pendet.*

Huiuſmodi ſententiis referti ſunt libri poetarum. Videtur itaque dicendum, fatum inferre rebus neceſsitatẽ; & iure profectò: quid enim primis cauſsis obſiſtere, ordiniq́ue prouidentiæ aduerſari valet? Sic natura in ſuo operandi modo neceſsitatem quandam dicitur habere coniunctam. Profectò nedum lumine veritatis illuſtrati, verùm etiam ſententiæ Platonis addicti, aſſerere debemus, nequaquam omnia neceſſariò fieri; nec etiam quæ fato fiunt, ſemper neceſsitatem includere. Diuina enim prouidentia, & fato cõſtitutum eſt, ne vniuerſum aliquo ſuæ integritatis gradu eſſet deſtitutum, vt in eo principia contingentiæ inueniantur: quæ duo ſunt: vnum, huma-

na

na libertas; alterũ, materiæ indifferentia: primum eſt principium magis efficiens; alterum verò ſolùm recipiens, & patiens. Et propterea, quamuis ratione ſui communis ſit aliquid neceſſarium; quia eſt neceſſe pro mundi plenitudine, vt in eo contingentia inueniantur: attamen reſpiciendo ad ſingula, quæ efficiũtur, multa eorum neceſsitate carent. Propterea rectè Ptolemæus in quadripartito aſſeruit, effecta à Deo in cœleſtia, & à cœleſtibus inter ſe, indiſſolubili quadam ſerie proficiſci; ſed à cœleſtibus in inferiora non ſemper ineuitabiliter, & ordine cœlitus inchoato produci; permutari enim & impediri poſſe, tũ naturis inferioribus aliquando repugnantibus, tum arte ſimul, atque conſilio. Sic itaque non omnia neceſſariò eueniunt, vt perperam exiſtimarũt Stoici: ſed in rebus locum habet cõtingentia: tum quia non omnia fiunt fato, vt patuit: tum inſuper, quia nonnulla eorum, quæ fiunt fato, potuiſſent impediri, & ſecùs fieri: vt nonnulla Naturæ, hominiſque opera. Propterea rectè enunciauit Plato in 10. de R.P. virtutem eſſe immobilem, & liberam; eligentis eſſe culpam; Deum verò eſſe extra culpam. Hinc quoque anima, ex Platonis ſententia, & ſupra fatum, & in fato, & ſub fato conſideratur. Supra fatum eſt, vt erecta ſupra ſe, cum mente cõiungitur: In fato eſt, vt in ſe conſiderata, menti ſubiicitur, & fatalis ordinis eſt fundamentum: Demum anima eſt ſub fato, quatenus aliqua ex

parte ſubiicitur corpori, & inſequitur propen ſiones à corporis temperamento prodeuntes. Inſuper, admirabilius eſt, quòd nedum hominis anima, verùm quoque ea brutorum, valet nonnunquam ſubterfugere fatum; vt rectè etiam Simpl. in Epictetum conſiderauit; veluti, dum animalia fera, ſtudio, & diſciplina, miteſcunt; domantur equi; lupi redduntur cicures; quæ animalia ita conſtituta, non inſequuntur naturalem ſuam propenſionem; & propterea hæc non fato operantur, ſed arte quadam, & diſciplina. Quòd ſi id conuenit feris; longè magis conueniet homini, qui magis eſt diſciplinabilis. Hæc tamen eſt differentia inter hominem, & feras; quia homo virtute propria, & munere ſuæ rationis id efficit; feræ autem id faciunt per curam ab homine adhibitam: veluti etiam, dum plantæ ex ſylueſtribus redduntur domeſticæ; id ſola hominis cura, arte, & diligentia perficitur. Ad rationes, quibus oſtendebatur omnia, quæ fato fiunt, neceſſariò fieri, non eſt difficilè reſpondere. Nam anima mundi nuncupatur Dea neceſsitatis; non quia ſingula ab ea pendentia, neceſſaria ſint; ſed quoniam operatur vbiq; eodem modo, cum quadam naturæ neceſsitate, ſibi à ſuperno principio iniūcta: Inſuper, quoniam omnia in ſuo conuenienti ordine à ſuo opifice conſtituto conſeruat; neq; permittit quicquam leges illius adeò tranſgredi, quin mox regrediatur in leges; & ea tranſgreſsio, in exiguis

guis eſt particulis, non in toto: immò ea tranſgreſsio in illis particulis, eſt cum conſeruatione ordinis: quoniam ex propria natura, & cõditione ſunt tales, vt ſecùs ſe habere poſsint. Sic fati decreta ſunt ſimilia lignis ad ignẽ contortis, & fuſus ex adamante cõſtat: ac demum ſeruatur ordo, & lex à Deo impoſita: quia, vel proximè, vel remotè omnia ſubiiciuntur fato, & relabuntur in fatum. Quæ autem à Poetis dicuntur, non omni ex parte approbanda ſunt: ſed quatenus veritati, & rationi ſunt conſentanea: Ideo Plato in ſua R.P. ex dictis Poetarum, nonnulla approbanda, alia penitus reiicienda oſtendit. Qua de re Ariſt. à Platone non diſſentiens, in rebus contingentiam concedit.

*De Parcis.*

## CAP. VII.

ANima mundi, quæ Dea neceſsitatis nuncupata eſt, etiam conuenienti metaphora, mater humanarũ conditionum, humanarumq; ſortium dicta eſt; & iure quidem: nam ab ea, per conuenientia media ſortes mundanæ in exitum perducuntur. Sic eius tres numerantur filiæ ex Demogorgone natæ, quę vulgò Parcæ nũcupantur. Dicuntur Parcæ, vel à contrario ſenſu, quia nemini parcant, vt eſt communis ſententia; vel potiùs, vt ego cenſeo, quia cùm nemo ſit ſua ſorte contentus, Parcę, hoc eſt Aua-

ræ ab omnibus iudicantur. Accommodatiſsima profectò eſt metaphora, qua vſi ſunt priſci, cùm Poetæ, tum Sapientes: dum tres animæ mundi filias, finxerunt eſſe tres fœminas nentes, & ex ſtamine fila ducentes. Nam mater eſt anima mundi; filiæ ſunt tres eius animæ vires, rerum fatalium ordinem abſoluentes: Mater cœlum reuoluit genibus, hoc eſt mira facilitate, & infima facultate motui accommodata; cùm interim vis eius ſuperna, vnà cum mente circa diuina verſetur. Fuſus, quo ſtamina neunt filiæ, ex adamante conflatus; ſi ad externam fuſi imaginē reſpicimus, eſt mundi axis, centro, polisque munitus; ſi rei conditionem conſideramus, eſt natura per corpora diffuſa, cuius inſtrumento anima mundi cuncta ad exitum perducit. Vertigium fuſi, à Platone conſtare dicitur ex adamante, aliiſque materiis: nam vertigium eſt cœlum, & præſertim firmamentum; in quo, ob orbium multitudinem, ſtellarumque cōditiones varias, nedum adamantis ſoliditas reperitur; verùm inſuper inueniuntur aliæ, ac eminentiores materiæ cōditiones. Stamen eſt cœli fœcunditas; cum qua mox corporea rerum vita, ob diſtantiam à cœlo, ob tenuemque virtutis participationem, fluxilemque conditionem, fragili, tenuique filo dicitur alligata. Filiæ animæ mundi, explentes munera fati, tres ſunt; Clotho, Lacheſis, Atropos; æquali inuicem interuallo in throno ſedentes, veſtibus albis indutæ, capite

coro-

coronatæ, & ad Syrenarum Harmoniam canentes: quarum Lacheſis, præterita; Clotho, præſentia; Atropos, futura irremeabilia canit. Clotho vnà cum matre, intermiſsione quadã temporis, dextra manu tangens externam fuſi circumferentiam, illum circunducit: Atropos ſiniſtra tangens interiorem circumferentiam, id ipſum efficit: Lacheſis viciſsim vtraq; manu vtrinque tangit, vt refert Plato in 10. de R.P. Quibus vulgaribus velaminibus latentia, & præclara myſteria elegantiſsimè circunteguntur. Sunt tres iſtæ filiæ, non firmamentum, Saturnus, & aggregatum ex reliquis Planetis, vt in 12. de Legibus cenſuit Ficinus; cùm enim mater non ſit corpus, neque etiam nomine filiarum corpora intelligere debemus: ſed potiùs ſunt tres vires, vel tria munera animæ mundi, vel ipſamet anima ad tria relata. Iurè dicuntur tres: nam cuncta ternario, quaſi initio, medio, & fine; vel eſſentia, potentia, & actione perficiuntur. Inſuper ſunt tres, quoniam anima mundi, ea, quæ à mente in æuo, & ſupra tempus collocata recipit; in tria mox tempora diſtribuit, in præteritum, præſens, & futurum; quibus mobilia ſubiiciuntur. Prætereà dicuntur tres; quoniam anima mundi, in ſui muneris functione ternario vtitur: nam ea, vt media, aliunde recipit; mox recepta in ſe continet; tertiò in alia vitæ ſortes diffundit. Præterea, dum etiam conſideratur anima, vt aliis varias vitæ conditiones impartitur, ter-

nario vtitur; quatenus cætera recipiunt ab ea ſuæ vitæ initium, medium, & finem. Præterea conſideratur anima mūdi, vt rationibus, quaſi ſeminibus grauida; vt pariens, vt parta ſeruans; ſuoque fine terminās, & abſoluens. Demum ternario vtitur; quatenus diſponit, quæ ſemper, quæ raro, & quæ frequēter eueniunt. Iure itaque filiæ eius tres ſunt dictæ. De quibus loquens ter maximus Mercurius in Aſclepio inquit; Fatum tribus conſtare, Imarmene, quæ rerum omnium parit initia; Neceſsitate, quæ initia ad progreſſum cogit; demum Ordine, id eſt diſpoſitione temporis. Per has itaque Parcas indumentis albis, hoc eſt, cōditionibus inuiolabilibus indutas; quæcunque in Ideis, quaſi in Glomo ſunt inuoluta, euoluuntur, & explicantur in corpora. Hæc de Parcis explicata, conſentanea ſunt principiis Academicorum: ex opinione Ariſtotelis, ſecùs eſſet dicendum. Quæ enim Platonici ad mundi animam, eiuſque vires referunt; Peripatetici, vel ad Deum, vel ad naturā ſub Deo ordinatam, eſſe referenda exiſtimant.

*De Animis Sphærarum.*

## Cap. VIII.

ANimam mundi, veluti ducem, inſequuntur duodecim animę duodecim ſphærarum mundi; octo ſcilicet cœleſtium orbium, & quatuor elemētorum. Hoc eleganter protulit Plato in Phædro inquiens; Magnus vtiq; Dux in cœlo Iupiter, citans

citans alatum currũ, primus incedit, exornãs cuncta, prouideq; diſponens. Hunc ſequitur Deorũ, Dæmonumq; exercitus per vndecim partes ordinatus. Permanet autem Veſta in Deorũ æde ſola, &c. Hæc Plato. Magnus Dux eſt anima Mundi. Exercitus vndecim Deorũ, ſunt vndecim animæ cœlorũ, & trium elemẽtorũ: & dicuntur exercitus; quoniam eas animas, aliȩ deinde Dȩmonũ, & hominũ inſequũtur; & aliȩ inſequũtur alias ratione diuerſitatis conditionũ, & propenſionũ. Veſta, quȩ in ȩde Deorum ſola permanet, eſt anima terræ: cùm enim cæteræ ſphæræ vertantur in orbem, ſola terra in ſuo loco requieſcit. Ex his patet decipi eos, qui putarunt per vnam mundi animam omnes cœlos, & elementorũ ſphȩras vitã recipere; manifeſtè enim Plato diuerſas eorum eſſe animas affirmat: neq; etiam eſt rationi cõſentaneum, vt anima vna, tot diſtincta corpora, motibus adeò diuerſis, tamq; diuerſa velocitate moueat. Sic ex octo ſphærarum animis, & ex anima mundi, chorus nouem Muſarum conſurgit. Et hæ ſunt Syrenæ, cum quibus recinunt Parcæ, & ad quarum harmonicos cantus ſua munera dicuntur obire; quatenus certis numeris, cum lætitia, per commenſuratos cœli motus, cuncta perficiunt: eſt enim cœlũ, vt dicebat Pythagoras, Lyra Dei; ad cuius ſonum cuncta numeroſè ſaltant, & canũt. Proptereà cecinit Orpheus, opificem vniuerſa cuſtodire; quia æreos baculos ſumens, tympano

tantopere perſonat, vt Deos omnes ad ſe conuertat. Et quoniam animæ ſupra ſe mentem habent; ideo Apollo, qui Muſis pręeſt, eſt mẽs animæ mundi. Nonnunquam tamen nomine Apollinis anima Solis denotatur: nam reſpiciendo ad varia munera, diuerſasque proprietates; modò hoc, modò illud dicere valemus: vt etiam nomine Iouis nonnunquam mens prima denotatur, vt dum cecinit Orpheus; Mens idea omnium: nonnunquam anima orbi Iouis deſtinata: nonnunquam demum anima mundi, vt à Platone in Phædro; dicimus enim Celium denotare Deum; Saturnũ, mentem; Iouem verò, animam mundi. Animæ itaque cœlorum vnà cum anima mũdi, chorum Muſarum cõſtituunt; & ſunt nouem Syrenæ: non illæ quidem, quæ humanas aures corporea voluptate demulcentes, nos deuiant à recto curſu; quales ſunt Syrenæ numero tres in Mari, quaſi in voluptatũ materia, & pelago, à Poetis excogitatæ: ſed hæ ſunt Syrenę diuinę, ad conuenientem finem nos inuitantes; quæ per octo tonos, octo ſphærarum; & per concentum, qui ex omnibus conſurgit, Dei facultatem canunt, & vnà cum cęlis enarrant Gloriam Dei.

Propterea cecinit Orpheus:

*Tu totum cœlum canora cithara temperas.*

De

## *De Pythagoreo Cœli ſono, & animis Elementorum.*

## CAP. IX.

MIrantur nõnulli, quòd Platonici Pythagoram ſequuti, in cœlo ſonos, tonos, & harmoniam cõſiderarint. Sed mirari potiùs nos debemus, quòd ipſi adeò mente ſint ſurdi, vt eam purgatis auribus apprimè notam, audire non valuerint: ea enim, non corporis, ſed mentis auribus nata eſt audiri. Nam ſonus duplex eſt: vnus cum ſtrepitu, & violentia iunctus; & hic in cœlo nõ habet locum, à quo abeſt omnis violentia: alter in ſola motuum, & corporum conuenienti ratione, ac proportione collocatus; qui eminentiſsimè in Cœlo reperitur. Hunc viri vulgares, qui ob prauam aſſuetudinem, & cõiunctionem cum terrenis, ad diuina facti ſunt ſurdi, audire non valent: at aures à terrenis ſordibus purgatæ, ſupra corporeas aſſuetudines erectæ, illum ſolum audiunt, & ad terrena ſurdæ euadunt. Hunc itaque ſonum Plato, Pythagoras, Apollonius Thianeus, ter maximus Mercurius, audierunt, & admirati ſunt. Nam viri hi ſapientiſsimi, quibus metaphoræ fuere familiares; vt aures vulgarium demulcerent, & animos ſagacium, ſtudioſorumq; iuuenum rectè formarent; per vulgarem ſonum, vulgaremque harmoniam, ſonum internum, harmoniamque in origine, & cauſſa collocatam manifeſtare voluerunt: quam ſoli audiunt,

qui auribus mentis vtuntur : de cæteris id verè dici poteſt ; oculos habent, & non vident; aures habent, & non audiunt. Variæ, & omnes præclaræ, in cœlo melodiæ inueniuntur; aliæ tamen aliis dulciores, & diuiniores. Nam in eo primò eſt harmonia in ſola anima; ratione compoſitionis ex principiis eius ; & ratione numerorum, quos includit. Secundò in orbe cœli, in quo mira proportione colligatæ inueniuntur conditiones elementorum. Tertiò conſideratur harmonia diuerſorum motuum, cùm ſtellarum, tum orbium: nam motus velociores, ſonum indicát acutiorem; tardiores, grauiorem. Harum trium harmoniarum, prima eſt cauſſa ſecundæ, ſecunda tertię. Inuenitur quartò conueniens ratio, aptaque proportio in cœlo inter mobile, & motorem. Inſuper, inter motores ad inuicem. Præterea, inter magnitudines corporum mobilium inter ſe. Septimò inter animas, & participatam mentem. Octauò inter aſpectus ſtellarum, luminumque earum inter ſe. Ac demum inter cœleſtia corpora, & mundum mortalem. Ex his nouem rationibus, quaſi nouem Muſis, chorus cœleſtis Muſicæ cõſurgit, gratus Deo, mundoque ſalutaris; nam ex huiuſmodi melodia conſurgit mortalis mundi moderatiò, ac temperamentum. Et quoniam cœlo elementa ſuccedunt, quæ mortalis orbis ſunt primæ partes, in quibus opera conſpiciuntur vitam præſeferentia; propterea iure Plato elementa

quoque

quoque ſuam habere animã exiſtimauit. Non enim eſt rationi conſonum, vt vermes, formicæ, & alia conſimilia exigua corpora, viuant: Terra autem, & ſupra terram ordinata elemẽta, quæ ſunt inſignes mundi partes, & aliis vitam tribuunt, ſint vita penitus deſtituta. Conſpicimus enim per animam terræ viuere lapides, & metalla, quandiu fuerint cum terra cõplicata; & elementorũ portiones cum ſuo toto ſeruari; & ad ſuum totum, cùm fuerint ab eo deciſæ, reuerti. In mortalibus animalibus marem à fœmina diſtingui manifeſtè conſpicimus; in animis elementorum, & cœli, maris & fœminæ vires coniunctæ inueniuntur; & iure quidem: quò enim in gradibus rerum magis aſcẽdimus, eò maiorem in eis vnionem inuenimus. Dicuntur huiuſmodi elementorũ animæ, vtriuſq; ſexus vires includere. Primò, quatenus conſtant ex anima, & mente: in quo nexu mens marem refert; anima verò fœminam à mente, tanquam à mare, ſemina recipientem. Inſuper, animæ duas dicuntur habere facies, vt dictum eſt; quarum ſuperna marẽ, inferna fœminam repræſentat; ſuperna etiam ſemen habet; inferna emittit, & parit. Hinc patet ratio, cur priſci ſapientes Orpheum imitati, vnicuique elemento duas diuinas potẽtias, quaſi duos Deos, aſsignarunt; marem vnam, alterã fœminam: vt Terræ Plutonem, & Proſerpinam; Aquæ Oceanum, & Thetim; Aeri Iouem, & Iunonẽ; Igni Phanetam, & Aurorã.

Et quoniam ea duo munera, modo tamen eminentiore, obeunt etiam animæ cœlorum; ideo Orpheus in illis quoque marem, & fœminam conſiderauit; & ſingulis cœlorum Sphæris Deum, & Deam præeſſe cecinit; in quibus tamen hæc inueniuntur cum minori diſtinctione. Conſtat itaque, de his quid ſentiat Plato. At perpendamus, in quo Ariſt. ab eo diſſentiat; & an valeat conciliari cum eo. Nam primò diſſentire videtur; quoniam Plato octo ſphæris cœli, octo præeſſe animas affirmat; Ariſtoteles verò in 12. Metaph. in cœlo, non octo, ſed pluſquam quinquaginta numerauit intelligentias, proportione reſpondentes animis à Platone excogitatis. Sed hac de re leuis eſt altercatio; quoniam Ariſtoteles non ad octo ſphæras, ſed ad ſingulos orbes reſpexit; Plato verò non diuiſim ad orbes ſingulos, ſed ad præcipuas ſphæras ex eis conflatas reſpexit. Hinc Plato non dixit abſolutè, animas eſſe octo; ſed tot eſſe animas duces, ſub quibus aliæ reperiuntur; adeò, quòd non aduerſatur Platoni Ariſtoteles, dum longè plures aſſerit eſſe cœlorum intelligentias. In hoc potiùs diſſentiunt, quia Plato ſtellis diſtinctas animas conuenire cenſuit; quod non exiſtimauit Ariſtoteles. Inſuper re vera maximè de alio diſſentiunt; quatenus cenſuit Plato elementa eſſe anima prædita: Ariſtoteles, cùm in primo de anima propè calcem cumulatè: tum in 2. libro eam ſententiam reiecit; & elementa carere

rere anima affirmauit. Simplicius ſuo more nititur in lib. de Anima Ariſtotelem cum Platone conciliare, & nititur oſtendere ex opinione Ariſtotelis elementa eſſe animata; & in libro de Cœlo carpit Alexandrum, qui cum Ariſtotele ea carere anima affirmauit. Sed quàm rectè ſentit Alexander, tam longè Simplicius receſsit à vero; manifeſtiſsimè ſententiam Ariſtotelis peruertit, qui vbique negauit, nullibi indicauit elementis animam conuenire; adeò, vt ſit ſuperuacaneum in eius ſententiæ comprobatione immorari.

*FINIS LIBRI QVINTI.*

N

# STEPHANI THEVPOLI, BENEDICTI F. PATRITII VENETI,

## *ACADEMICARVM Contemplationum,*

## LIBER VI.

## DE DAEMONIBVS.

### *De multiplici nominis Dæmonum ſignificatione.*

### CAP. I.

LOQVVTVRI de Dæmonibus, qui conuenienti ratione animæ mundi, & ſphærarum, tanquam ducibus ſuccedere videntur; vt id bono Dæmone efficiamus, optandum eſt. Nos monet bonus Dæmon, vt à nominis ſignificationib. ordiamur; præſertim, cùm Dæmonis nomen, non vno modo, ſed multipliciter accipiatur. Dicitur Dęmon, vt ait Plato in Cratylo, quaſi ſapiens; & cùm ſit ſapiens, etiam dicitur eſſe Dux peritus. Huiuſmodi ſapiens, & peritus Dux: nonnun-

nunquam propriè accipitur, pro natura Dæmonis ab aliis rerum gradibus diſtincta; nonnunquam verò latè accipitur, pro denotandis illis, quæ ſimilitudine, & analogia quadam includunt cõditiones Dæmonum: quod poteſt contingere dupliciter, vel cum depreſsione, vel cum eminentia. Hinc patet, quomodo con ſurgant tres Dæmonum præcipuæ acceptiones. Dæmon propriè ſumptus, ex ſententia Platonis in conuiuio in oratione Diotimæ, denotat naturam mediam inter mortales homines, & Deos; conciliatricem eorum inter ſe; miniſtram Deorum, Ducem verò hominũ: In quarto autem de Legibus, dicũtur Dæmones interpretes Deorum apud homines. Cùm itaque munus Dæmonis ſit præeſſe, interpretari, curare, & ducere, quod munus in eminentia conuenit Diis; ideo nonnunquam Dæmonis nomen apud Platonem ad Deos extollitur: & per Deos intelligi volo vniuerſam mentium latitudinem, vel abiunctam, vel mediante anima cum æterno corpore complicatam. Dij enim eminentes ſapiunt, ducunt, & prouident: ideò Orpheus Iouem, magnum Dæmonem appellauit. Accedit, quòd, vt ſupremi Dæmones nonnunquam, ob affinitatem cum Diis, Deorum nomine honeſtantur; ita Dij poſtremi, qui Dij dicuntur, non abſolutè (vnus enim abſolutè eſt Deus) ſed participatione, & ſimilitudine, ob nexum cum Dæmonibus, Dæmones aliquando nuncupantur. Ex

aduerſo, vtimur nonnunquam nomine Dæmonis cum depreſsione conditionum; dum Naturas infra Dæmonicam collocatas, nuncupamus Dæmones: in qua ſignificatione humanas animas, & præſertim mētem ab ea participatam, Dæmonem nuncupamus; & iure quidem. Nam vt vniuerſa Dæmonis natura, ex anima & participata mente conſtans, præeſt vniuerſæ naturæ hominis, ex anima & mēte conſtituti; ita mēs participata ab anima hominis, eidem animæ, tanquam Dæmon eius præeſſe dicitur; quæ acceptio eatenus dicitur cum depreſsione, quatenus participatio mentis in humana anima eſt obſcurior, quàm participatio eiuſdem in anima Dæmonis: Eſt itaque cum depreſsione, comparando animam hominis animæ Dæmonum, mentemq; menti. Propterea dixit Timæus, Deum nobis ſupremam animæ partem, vt Dæmonem conceſsiſſe. Ob eandem rationis conuenientiam, Prudentia, & Imprudentia hominis; ea boni, hæc mali Dęmonis nomine denotantur: & ab Ariſt. fœlicitas nuncupatur Eudæmonia; quia à Sapientia, & Prudentia, vt à duobus pendet. Hinc mos vniuſcuiuſque Dæmon dicitur; & Zenocrates eum habere bonum Dæmonem aſſeruit, cuius anima eſſet ſtudioſa. Seruata quoque eadem rationis ſimilitudine, nedum Mens hominis, vel eiuſdem Sapientia, & Prudentia, dicuntur Dæmones; verùm inſuper ipſi ququeaffectus, à quibus ducimur. Inde nobiſ-

nobiſcum duo conuiuere Dæmones dicũtur, ratio, & animi affectiones, ſiue appetitiones. Et quoniàm ex affectionibus animi vehemen tiſsimus eſt Amor: qui nedùm nos ſæpè rapit inuitos, verùm inſuper valet homines eleuare ad Deos, & Deos cum hominibus conciliare: ideo à Platone in Conuiuio, Amor magnus Dæmon nuncupatur: ob eandem quoq; conditionum ſimilitudinẽ, ab Ariſt. in lib. de Diuinatione per ſomniũ, Natura Dæmonia nuncu patur, & Dęmonia dicitur: quoniá, vt Dæmones ſunt Deorum famuli; ſunt periti duces, & Deorũ leges abſoluũt; ita ex ſentẽtia Ariſt. Natura Deo famulatur, opera ei9 abſoluit.. Ideò, inquit Ariſt. in 1. cœli 32. Deus, & Natura nil faciunt fruſtra; & Auer. in 12. Met. 18. inquit cũ Themiſt. Naturá non errare, quia dirigitur ab intelligentia nõ errante. Accedit demũ, quòd iure Ariſtot. Naturam dicit Dæmoniam: quoniam ea admirabilia opera, quæ ob latentem cauſſam ab aliis iudicantur fieri per Dæmones, ab Ariſtotele dicuntur fieri per naturam modo latente: per proprietates rerum obſcuras, vel ignotas. Cùm itaque Dęmonis nomen varia ſignificet, ego de Dęmonibus ex ſententia Platonis loquuturus, de propriè ſumptis verba faciam; qui non ſimilitudine, ſed natura, eſſentia, & propietate ſunt Dæmones.

*An dentur Dæmones; ſententia Ariſtotelis.*

## CAP. II.

DÆmones, qui ferè omnium gentium, ſapientumque conſenſione conceduntur, & approbantur; ab Ariſtotele, quaſi ſphingis, & chimæræ inania nomina negligũtur: quod ex eo manifeſtiſsimè patet, quia nũquam, quid ſit Dæmon, manifeſtauit. Inſuper, ea omnia opera, quæ alij Dæmonibus tribuunt, ipſe retulit in naturam, in proprietates rerum natura conſtantium, in humores hominum, in conditiones halituum; adeò, vt nullum Dæmonũ dereliquerit vſum, vt patet ex 30. part. problemate primo, ex 7. de Moribus cap. 3. & locis aliis. Legitur etiam in lib. de Mundo ad Alexandr. multis in locis orbis, exitus ſpirituum patefieri: qui partim fanatico furore afficiunt homines propiùs accedentes; partim tabifica vi abſumunt; partim fatidicos efficiunt; vt Delphici, & Lebadici; ſunt &, qui prorſus enecent, vt in Phrygia; &c. & ob hanc rationem, vt iàm dixi, Ariſtoteles in lib. de Diuinatione per ſomnium, Naturam dicit Dæmoniam; quia ea efficit, quæ alij Dæmonibus tribuunt. Quòd Ariſt. Dæmones non admiſerit, etiam ratione confirmari poteſt. Nam ſi dantur Dæmones, vel ſunt ſeiũcti ab omni corpore, vel cum corpore aliquo iuncti: non ſeiuncti, quoniam Ariſtoteles in 12. Metaph. neque intelligentiam vllam ponit non iunctam corpori: ſi ſunt iun-

ſti corpori, vel æterno, vel mortali: non æterno; quia id eſt cœlum, in quo ſolæ locantur intelligentiæ: non mortali; quia vel erit ſimplex, vel mixtum: non ſimplex; quoniam in ſimplici elemento negat reperiri animam, in 1. & 2. de anima; & in mortalibus negat reperiri animam ſine corpore inſtrumentario, vel potentiam animę ſuperiorem ſine inferioribus: non poteſt eſſe corpus mixtum; quoniam huiuſmodi omnia corpora ſub ſenſum cadunt, Dæmones ſenſu non percipiuntur. Ideo Ariſt. in quarto Meteororum inquit: Et in terra, & in aqua ſolùm animátia exiſtunt; in aere autem, & igne nulla ſunt; quia corporũ materia hæc. Eo in loco rectè Olympiodorus conſiderauit damnari ab Ariſt. ſententiam Platonis; qui in igne maximè longęua, in aere minùs, ponebat animantia. Et in primo de hiſtoria animalium cap. 1. inquit; Nullum eſt animal, quod tãtùm aereum ſit; adeò, vt nunquam deſcendat, & requieſcat in terra: & hoc dixit; quia cenſuit animalia omnia à principatu molis eſſe terrea. Patet itaque in conſpicuo errore eos verſari, qui aſſerunt Ariſt. poſuiſſe Dæmones: cùm enim nos per conſpicua loca, debeamus obſcura, & latentia illuſtrare; hi è contra per nonnulla latentia, ea, quæ conſpicua ſunt, obſcurant, atque peruertunt. Manifeſtè igitur Ariſt. neglexit Dæmones. Quòd ſi in 5. Metaph. de illis facit mentionem inquiens: Subſtantiã ſunt ſimplicia corpora, quæ ex his conſtant,

& animalia, & Dæmonia: putãdum eſt, quòd, vel ſubſtantias enumerauerit ex communi aliorum, & præſertim Platonis opinione, vt ſæpe in alieno loco facere conſueuit; vel per Dæmonia denotauerit omnem ſubſtantiam diuinitatis compotem. At afferunt, qui ſecùs cenſent, pro comprobanda ſua opinione locum ex 3. de Gener. animalium cap. 11. vbi quærens Ariſt. cur plures rerum differentiæ exiſtant in humore, quàm in terra; ſoluens, inquit; An, quia humor naturam habet ad effingendum, afformandumque habiliorem. Cæterùm mare ſua natura calidũ eſt, & particeps omnium partium inuenitur, videlicet humoris, aeris, terræ: Itaque omnia adipiſcitur, quæ ſingulis his locis gignuntur. Plantas enim Terræ incolas eſſe, quis ſtatuerit; Aquæ, aquatilium animalium genus; Aeris, τὰ πεζὰ ſiue pedeſtria: ſed quòd magis, minúſve, & remotiùs, aut propiùs, res conſtet; magna, miraque differentia exiſtit. Quartum genus non in his locis quærendum eſt, quamquam aliquid eſſe exigit ordine ignis, id enim quartum corpus enumeratur: Verùm ignis ſemper formam non propriam habere videtur, ſed in alio corpore; aut enim aer, aut fumus, aut terra eſſe videtur, quod ignitum eſt, ſed enim genus hoc apud Lunam quærendum eſt: hæc enim quartam illam differentiam adipiſci videtur, &c. Hæc Ariſt. Ex quibus nonnulli colligunt, Ariſtot. in ſphæra ignis ſub cœlo collocaſſe Dæmones.

Ferè

Ferè ſimilem ſentētiam protulit in lib. de Reſpiratione. Sed falluntur; quoniam manifeſtiſſimè in locis propriis neglexit Dæmones, vt apparuit in præcedentibus. Verba ſuprà relata, apprimè ſunt obſcura; nec per obſcura euertenda ſunt loca perſpicuà. Et pro ſolutione dicere poſſumus, quòd ſi Ariſtot. denotauit Dæmones, id fecit ex ſententia Platonis, vt inquiunt nonnulli. Vel dicamus, quòd dum Ariſtot. inquit; Quartum genus non in his locis quærendum eſt: non de Dæmonibus, ſed de igne loquitur: Nam animalia debēt apud nos fieri: apud nos autem non eſt elementũ ignis, ſed apud Lunam; ideo non dantur animalia igni reſpondentia: Sic Auer. ex eo loco colligit, minimè dari animalia ignea. Vel dicamus, quartum id genus animalium, apud Lunam eſſe quærendum, & conſiderandum, an ibi inueniri poſsit; at ex alibi declaratis conſtat, ibi animalia non reperiri: nam in ſecundo de Gener. animalium cap, 3. inquit; Quamobrē ignis nullum animal generat; nec conſtitui quicquam denſis, vel humidis, vel ſiccis videtur; nam calor animalis, nec ignis eſt, nec ab igne ducit originem. Ita etiam in quarto Meteororum inquit, in ventriculo ob calorem non poſſe gigni vermes. Conſtat itaque; ſiue Ariſtoteles per quartum genus denotet ignem, ſiue denotet quartum animalium genus; ſem per auctoritatem illam reddi leuem, & nullius momenti.

*An dentur Dæmones, ſententia Platonis.*

CAP. III.

MIrum profectò eſt, quomodo Peripatetici Dæmonicam naturam non concedant; cùm plurima opera nobis ſeſe offerant, quorum cauſſam conuenienter aſsignare non valemus, non poſitis Dæmonibus; veluti, dum viri vulgares Dæmone correpti, Hebraicè, Græcè, & Latinè loquuntur; res aliis occultas patefaciunt; adiurationibus varia efficere compelluntur: quæ ſine Dæmone non efficerent. Ita quoque mira priſcorum oraculorum reſponſa, ſecretorum reuelationes, plurimæ ſolis verbis incurabilium ægritudinum curationes, hiſtoriæ variæ; tam manifeſtè Dæmones nobis patefaciunt, vt nil manifeſtius conſpicere valeamus. Aſſerere autem ea fieri, vel per bilem atram, vel per vim imaginandi, vel per varia halituum genera, vt aſſerit Ariſtoteles, & cum eo Pōponatius, & alij nonnulli, delirare eſt: quomodo enim per humores, in imaginatione formari poſſunt rerum imagines, & idiomatum verba; & nomina, ex hominum inſtitutione prodeuntia; quæ nunquam ſub ſenſum illius hominis ceciderunt? Non enim ea in anima præexiſtunt; quæ, ex ſententia Ariſtotelis, omnibus formis eſt denudata: nec per halitus, & humores manifeſtãtur, cùm in eis non ſint huiuſmodi imagines; & præſertim rerum futurarum, & vocum ex hominum inſtitutione

pen-

pendentium. Accedit, quòd huiuſmodi homines ſæpe, immota lingua, & ore clauſo loqui videntur. Inſuper, oraculorum reſponſa ex Dæmonibus prodiiſſe, ex eo manifeſtè cōſtat: quia poſt Chriſti incarnationem, oracula illa omnia euanuerunt: quod non contigiſſet, ſi ex cauſis purè naturalibus duxiſſent ortum. Pręterea, prætermiſſa etiam auctoritate, experientia, & ſenſibus; ſi rationi credimus, cogimur ponere Dæmones. Et primò, cùm in terra, & aqua varij viuētium gradus inueniantur; cùm cœlum viuat; inficiari non debemus, corpora intermedia animantibus eſſe prædita: ſed rationi conſonū eſt exiſtimare, in eis eò nobiliora animalia reperiri; quò ſunt eminentiora, & nobiliora poſtremis elementis. Tetigit hác rationem Ariſt. in 3. de Gener. animalium: attamen Dæmones, qui ex ea colliguntur, minimè conceſsit; quoniam exiſtimauit animalia cuncta in terris degere, ex principatu molis eſſe terrea; quod minimè neceſſarium eſt. Prætereà, quoniam homo cum craſſo corpore cōplicatus, longè diſtat à Deo; pro nexu neceſſaria fuit natura aliqua media, quæ extrema conciliaret: huiuſmodi eſt natura Dęmonum; quę tenuitate corporis, acumine ingenij, celeritate actionum, aliiſq; conditionibus conuenientiſſimè mediat. Et præſertim dari debuit, quia mundus eſt ſpecierum plènitudo; nullus gradus deſeritur inanis; & quæ in eo fieri poſſunt ex attinentibus ad eius perfectionem, etiam

neceſſariò in eo ſunt. His accedit, quòd cum in Deo, vt in principio, ſit cura, & prouidentia communis vniuerſi, in Mente ſolùm ſit diſtincta prouidentia ſpecierum; etiam debet dari natura aliqua media, ad quam pertineat cura, & prouidentia partium. Ad Deum, & Mētem pertinet dirigere, & imperare; ad mediam hāc Dæmonum naturam exequi, & perficere Iure itaque Plato Ægyptiorum Theologis, ſenſi- ſius, & rationi credens, Dæmones poſuit; in quorum notitiam interna quadam naturæ commotione perducimur. Eos religio omnis ſupponit; Priſci ſapientes in eorum cultu plus æquo verſati ſunt; ter maximus Mercurius frequenter de illis loquitur; ſapientes Ægyptiorum, ope Dæmonum admirabilia effecerunt: Quapropter Plato ex his plurima deprōpſit, & ſplendidiſsimè ſuoſ libros exornauit. Ex qua Academicæ, & Peripateticæ ſentētię conſpicua diuerſitate colligimus, quàm longè illi à vero recedunt, qui in omnibus Ariſtot. cum Platone nituntur conciliare.

## *Quid ſit Dæmon.*

## Cap. IIII.

A Calcidio in Timæum Platonis, ab Apuleio, & ab aliis, vario modo definitur Dæmon. Inquit Calcidius, Dęmonem eſſe animal rationis particeps, immortale, affectionibus animi obnoxium, corpore æthereum, curam hominibus imper-

impertiens. Apuleius in lib. de Socratis Dæmone, ferè ſimilem dedit definitionem: ſolùm eam permutauit; quia loco ætherei corporis, aereum ſumpſit. Hæc definitio in parte mihi dubia eſt; & præſertim, quia Dæmonum corpus non conſimile eſt, cùm varij ſint Dæmonum gradus. Prætereà, cùm homo definiatur à Platone, non quòd ſit animal; ſed anima rationalis mentis particeps, corpore vtens: longè minùs Dæmon debet per animal definiri, ſed per animam corpore vtentem; cùm magis quàm homo dominetur corpori, & minùs ex eo pendeat. Inſuper, non explicatur in ea definitione, quomodo per rationem Dæmones præſtent hominibus. Propterea ita potiùs eſſe definiendos exiſtimarem: Dæmon eſt anima, rationis, & mentis ſupra humanam conditionem particeps, tenui corpore vtens, Deorum famula, pro mundi particulari cuſtodia. Sic Plato animas puritate, & impuritate inter ſe diſtingui affirmauit. Dæmonũ anima purior eſt, quàm anima hominis: & vtitur corpore, non ita, vt eius ſit perfectio, & forma; ſed ei iungitur cum quadam inſinuatione; ita tamẽ, vt ei maximè dominetur, & virtutem quandã impartiatur: quò enim anima eſt ſublimior, eò magis corporibus dominatur. Inſuper, vtitur corpore non craſſo, ſed tenui; vtitur enim vehiculo, vel æthereo, vel aereo: & quoniam aereum vehiculum, modò puriùs eſt, modò craſsius, & obſcurius; hinc & ignei, & aerei, &

aqueì & ſubterranei numerantur Dæmones. Valent etiam Dæmones, ob eorum vires, & eminentiam, noua recipere corpora; ita tamen, vt interim proprium non derelinquant: & cũ ſuſcipiant noua corpora, eisque maximè dominentur; varias eis valent tribuere figuras. At nunquid ſub ſenſum noſtrum cadãt? Dixit Porphyrius, Dæmones omnes prorſus inuiſibiles eſſe. Iamblicus cenſuit, eos à nobis frequenter ſenſibus vſurpari: quod etiam affirmauit Plato in Timæo, & Epinomide; aſſeruit tamen, nunquam manifeſtè apparere. Sententiam Porphyrij cenſeo veram, dum Dęmones conſiderãtur cum corpore ſibi proprio; quod ob tenuitatem, & puritatem ſenſum effugit; vel non diſtinctum apparet ab eo intermedio corpore, in quo reperitur. Inſuper, eiuſdem opinionem commendandam cenſeo; quatenus inuiſibile, ſolam difficultatem manifeſtat: non autem, quòd penitus videri nequeant. Opinionem Iamblici probandam iudico, dum Dæmones aliis corporibus inſinuantur; & nobis diuerſa figura, colore, & luce circunfuſi, ſeſe offerunt. Sunt itaque Dæmones, cùm viſibiles, tum inuiſibiles: Inſuper, potiores Dæmones ſunt inuiſibiles, humiliores verò magis ſub intuitum cadunt; magis enim cum craſſo corpore permiſcentur, & nobis ſeſe offerunt. Cùm à nobis cõſpiciantur Dæmones, id duobus modis contingere poſſe putandum eſt; nonnunquam verè conſpiciuntur; quia cor-

pora

pora denſiora aſſumunt,ea figurant,& per eadem ſeſe nobis oſtendunt: nonnunquam verò radios noſtrorum oculorum ſua facultate formant ad libitum,ac reflectunt,imaginationemque noſtram permutant; adeò, vt cùm à nobis re vera non conſpiciantur, attamen conſpici videantur. Propterea dixit Plato in Timæo, eatenus Dęmones nobis eſſe cõſpicuos, quatenus ipſi volunt. Id ipſum euenire putandum eſt de voce, & ſono; quem emittunt, vel formare videntur. Neque propterea Platoni aduerſamur, qui in ſecundo de R. P. inquit; Eſt itaque omnino ſine mendacio, Deorum, Dæmonumque natura; eſt ſimplex, neque mutatur, neque alios decipit; neque per viſiones, neque per ſermones, neque per ſigna, neque nobis dormientibus, neque vigilantibus, &c. Nam Plato hæc dicit præſertim de Diis, vt ipſemet ſæpe repetit. Quòd ſi Dæmonis quoq; facit mentionem, id euenit: primò; quia poſtremos Deos, ſæpe nomine Dæmonũ appellat. Accedit, quòd Plato ibi de deceptionibus loquitur: Dæmones, quamuis ad libitum ſe nobis oſtendant; id faciunt, vt nobis proſint; non vt decipiant, & fallant; vt nos auertant à malo, non vt in malũ perducant: & hoc præſertim faciunt poſtremi Dæmones. Inſuper, Dæmones, nedũ noſtris ſenſibus vſurpantur, verùm etiam ipſi vtuntur ſenſibus; niſi omnibus, ſaltem eminentioribus, & magis ſpiritalib9; vt viſu, & auditu; quorũ munerib. cũ

fungantur, non eſt putãdum, quòd id faciant per oculos, vel aures; ſed præſtantiori modo ob eminentem facultatem; ac per quamuis corporis partem vident, & audiunt; idq́ue eis conuenit minùs cum perpeſsione, magis verò cum actione, quàm nobis.

*Gradus Dæmonum.*

## Cap. V.

IAmblicus in lib. de myſteriis Ægyptiorum nouem ponit diuinorum gradus: in primo, collocat Deos inuiſibiles; in ſecundo, viſibiles, vt ſunt cœli; in tertio, Archangelos; in quarto, Angelos; in quinto, Genios, ſiue Dæmones; in ſexto, Principatus priores; in ſeptimo, Principatus poſteriores; in octauo, Heroas; in nono demum, Humanas animas. Ex his nouem gradibus duo primi ſunt ſupra Dæmonum latitudinem, poſtremus verò eſt infra; adeò, vt ſex remaneant, qui communi nomine poſsint dici Dæmones. Pſellus ſex enumerat Dæmonũ genera, ſed modo longè diuerſo; ponit enim Dæmones Igneos, Aereos, Terrenos, Aqueos, Subterraneos, Lucifugos. Porphyrius, modò duo, modò tria ponit Dæmonũ genera: Nam in ſecundo de abſtinentia ab eſu carnium, ponit duo genera; vnum Dęmonum bonorum, alterum malorum: At in lib. de Occaſionibus tria enumerat, addendo medium; quod modò iratum, lædit; modò placatum ſacrificiis, prodeſt.

deſt. Plato in Epinomide, quinque ponit animalium genera: duo extrema, quæ ſunt; Dij viſibiles, denotans cœlum & Aſtra; & Animalia terrena morti obnoxia, quorum Princeps eſt homo: Media ſunt tria, Ætherea, Aerea, & Aquea; quæ tria communi Dæmonis nomine deſignantur. Aetherei Dæmones ſunt, qui degũt in ſuperna aeris parte, quam æthera nuncupauit Plato in Timæo: Aerei, in parte aeris poſteriore: Aquei, prope fontes, lacus, & maria; quos aqueos, ſemideos appellat. Sic itaque non conſtat, quot ſint gradus Dæmonum. De quibus vt notitiam aliquam cõſequamur, adnotãdum eſt, poſſe Dæmones multiplici conſideratione diſtingui: nam primò diſtingui poſſunt, reſpiciendo ad loca, in quibus degũt: ſecundò, reſpiciendo ad naturam corporis, cũ quo iungũtur, & ad quod ſunt procliues: tertiò, per animæ eorum puritatem, & impuritatem: quartò, per munera eorum, munerumq; functiones. Quæ quatuor diſtinctionis genera ita ſe habent, vt primum ſit deſumptum ex puritate naturæ Dæmonis; ex quo ſecundò ſequitur propenſio ad diuerſa corpora; ex hoc tertiò ducitur diſtributio per loca varia; ex quib⁹ omnibus ſequitur poſtremò diſtinctio ſumpta à muneribus: & hic eſt ordo reſpondens naturæ rei. At reſpectu noſtri è contra ſe habet; nos enim per opera eleuamur in cæterorum notitiam. Cùm itaq; hęc ita ſe habeant, cenſerem ego rectè cum Platone in Epinomi-

de, diſtribui Dæmones in tres gradus: in a-queos,aereos,& æthereos. Ratio diſtinctionis eſt: primò, quia triplex eſt hominis vita; effe-ctiua,cui aquei; actiua,cui aerei;contẽplatiua, cui ætherei Dæmones reſpondent. Inſuper, vita eſt triplex; voluptuoſa,actiua,& contem-platiua; quibus pariter reſpõdent tres gradus Dæmonum: voluptuoſæ vitæ, reſpondent a-quei; actiuæ, aerei; contemplatiuæ, ætherei. Inſuper,vt dixit Proclus in Alcibiade; Dæmo-num,quidam ſunt magis intellectuales,quidã minùs,alij mediant. Prętereà,ſi ad corpora re-ſpicimus; quoniam corpus Dæmonum tenue eſt; id præſertim poteſt eſſe triplex; vel aereũ, vel ad æthereum vergens, vel ad aqueum: ex quibus tria loca, treſque Dæmonum naturas conuenienter colligemus. Et ſi quis ambigat de ſubterraneis Dæmonibus: Dicendum eſt, cùm aqueos, tum aereos, meare poſſe per ter-ræ antra; vt aquam, & aerem meare conſpici-mus. Præcipua itaque diſtributio eſt trimem-bris:non tamen eſt abſurdum,in ſingulis eorũ diuerſitatem aliquam conſiderare; & præſer-tim in aqueis, & aereis.Adeò,vt varia conſide-ratione Dæmones omnes, vt in vnum genus redigi poſſunt; ita in tria,& in quinque valent diſtribui. Rediguntur primò in vnum genus; & omnes vel Aerei dicuntur, vt ab Apuleio; vel Aetherei,vt à Chalcidio;quatenus vniuer-ſa hęc latitudo inter cœleſtem ignem,& aquã, præſertim Dæmonibus deſtinata, denotatur,
vel

vel nomine aeris dominátis, vel ætheris nobilioris. Secūdò, diſtribui poſsūt in tres gradus; quaten⁹ hoc tenue corpus ſub cœlo poſitum, per partē eius ſublimē, eſt æther; per mediam, aer; per infimá vaporib. refertá, aqua: in qua cō ſideratione Plato in Appēdice Legū, tres Dęmonum gradus explicauit. Demum poſſunt reſolui in quinque; quatenus ratione permixtionis, & maioris vel minoris puritatis, vniuerſum hoc tenue corpus intermedium, quamuis à principatu ſit aer, tamen conditionibus omnium quinque corporum participare poteſt; & inde conſurgere dicuntur Dæmones ignei puriores, ac eminētiores, ætherei, aerei, aquei, terrei. Sic itaque ſine contradictione Dæmones, tum vnius, tum trium, tum quinque generum eſſe dicuntur; magis propriè tamen in tria genera, (vt fecit Plato) diſtribuuntur. Pariter etiam Dæmonū, nonnulli dicuntur Auſtrales, alij Septentrionales, quidam Orientales, alij Occidentales; ſed omnes ad tres enumeratos ordines rediguntur; nam in ſingulis conſiderari poſſunt hæ quatuor differentiæ. Poſtremò etiam putádum eſt; præter eos, qui ſunt ſui natura Dæmones, ſuique natura medij inter Deos, & Animas; dari Dęmones quoſdam aduenas, & peregrinos; qui ſint animæ hominum ſolutæ à craſſo corpore, degentes aliquandiu in aere: de quibus Plato in Cratylo loquens inquit Sciſne, quos Heſiodus Dæmones eſſe ait? H E R. non. S O C. neq; etiam

quòd aureum genus hominũ ait in principio extitiſſe? HER. hoc quidem noui. SOC. ait enim ex hoc genere, poſt præſentis vitæ fata, fieri Dæmones ſanctos, terreſtres optimos, malorum expulſores, & cuſtodes hominum, &c. Ponit itaque Plato etiam Dæmones aduenas: non tamen omnes eſſe tales cenſet; cùm in Timæo de Dæmonum generatione loquatur, diſtincta ab ea humanarũ animarum. Ex his conſtat, propriè Dæmones non eſſe erraticos quoſdam Deos, vt cenſuit Amelius; neque eſſe humanos animos corpore craſſo ſolutos, vt quidam alij crediderunt: hi enim ſunt aduenæ, non autem ſui natura Dæmones; ſed propriè Dæmones, eſſe gradum ſui natura mediũ inter viſibiles Deos, & homines. Sed dubitatio eſt, num etiam dentur cœleſtes Dæmones. Nonnulli eos ponunt, alij renuunt. Cui difficultati dicendum cenſeo, duplici conſideratione concedi poſſe cœleſtes Dæmones: primò, facta comparatione inter Dæmones propriè ſumptos; quorum eminentiores, cœloq; proximi, vt ignei, ita cœleſtes dici poſſunt: ſecũdò, facta comparatione inter Deos; quamuis enim cœleſtes à Platone nuncupẽtur Dij, vel inuiſibiles, vel viſibiles; euenit tamen, vt per conuenientiam naturæ & conditionum, nonnunquã poſtremi Dij nuncupentur Dæmones, vt ſupremi Dæmones nuncupantur Dij: at dum abſolutè, & propriè de Dæmonibus Plato loquitur; eos ſignificat, qui ſub cœ-

lo

lo poſiti ſunt: Qui tamen ita, ex Platonis ſententia, ſub cœlo ſunt collocati; vt ſemper caput, hoc eſt, mentis aciem, ſupra cœlũ habeant eleuatum; & intimiùs cum prima mente nectantur, quàm homines.

### *De nonnullis affectionibus ad Dæmones pertinentibus.*

### CAP. VI.

DÆmones humano generi affines, cũ hominibus libentiſsimè verſantur, vel cum humanis animis oſtreaceo vehiculo ſolutis; mouẽt, ducuntque homines; & hoc præſertim faciunt Dæmones inferiores: niſi eueniat fœlici aliqua ſorte ob puritatem animæ alicuius, vt ei iungatur, & cum eo verſetur Dæmon quidam ſupernus: quod Socrati, Plotino, & Platoni contigiſſe, multi affirmãt: adeò, quòd legitur in vita Plotini à Porphyrio ſcripta, Plotinum pro Dæmone Deum habuiſſe; nomine tamen Dei cẽſeo tunc denotari Dæmonem aliquem superni ordinis, Diis proximũ, non propriè Deum. Et quemadmodum vitæ hominum ſunt variæ, ita à variis Dæmonum conditionibus duci cenſent Platonici. Sic dantur Dæmones Saturnij, ad vitam contemplatiuam ducẽtes Saturnias animas; Iouiales, ad ciuilem; & ita de cæteris. Sed variæ ſeſe nobis offerunt difficultates, attinentes ad naturam, & conditiones Dæmonũ. Quæritur, an Dæmones ſint mor-

tales. Inquiunt nonnulli, igneos, & aereos immortales quidem eſſe; aqueos verò longæuos, ſed morti obnoxios: Propterea dixit Martianus Capella Pauſaniam ſectatus, Satyros prouectioris ætatis, nuncupari Silenos: Plutarchus in lib. de defectu oraculorum ait, Dæmones certis temporum curriculis interire, & viuere per nonies mille ſeptingentos viginti annos: Sic Pana magnum Dæmonem aiunt eſſe mortuum. Quam ſententiam approbandam non cenſeo: quoniam ſi ad animā reſpicimus, omnes ſunt immortales: ſi reſpicimus ad corpus; quoniam id elementare eſt, ſub cœlo poſitum, contrarioque præditum; non apparet, cur vnum mortale, alterum ſit æternum. Præterea, in elementari corpore non rectè iuuentus, & ſenium conſideratur. Inquiunt alij, Dęmones omnes eſſe immortales; ideo definientes Dæmonem aiunt, eſſe animal immortale: Addūt, quòd cùm corpus ſit ſolubile, attamen Dei voluntate ſeruatur æternum; vt de mundo dixit Plato. Quam ſententiam etiam dubiā cenſeo: Primò; quoniam Plato ſolùm de mundo dixit, ſua voluntate ſeruari æternum, & de nullo alio: prætereà, vbi reperitur multitudo indiuiduorum ſub ſpecie, vel facile eſt corpus refici, vt euenit Dæmonibus; nō eſt neceſſe, vt Dei volūtate compoſitum ſeruetur æternum. Propterea dicendū cenſeo, Dęmones omnes, ratione animæ, eſſe immortales: ratione corporis, partim mortales, partim immortales:

mor-

mortales, quoad partes, quæ interire, & refici poſſunt; immortales, quoad totum corpus: vt etiam de Elementis ſe habet: adeò quòd corpus Dæmonum variationi, & perpeſsioni eſſe obnoxium cenſeo: at aſſero id ei conuenire, non ſimul, ſed cum partium ſucceſsione, & reſtauratione: ſeruatur enim ſummopere ab eius anima, quæ corpori illi maximè dominatur, conferente ad id etiam puritate corporis eorum; corpus enim, quò purius, eò diuturnius eſt. Propterea rectè Porphyrius dixit, Dæmonum ſpiritum, quia corporeus eſt, affectionibus, & interitui eſſe obnoxiũ. Sed quæritur inſuper, num Dæmones animi perturbationibus ſubiiciantur. Proculdubio, cùm ſint ſub Diis collocati, affectu quodam ad corpora ſint procliues, cum elementari corpore ſint iuncti; etiá animi perturbationibus ſunt modo aliquo obnoxij: ita tamen, vt in ſupremis Dæmonibus, cum mira tranquillitate; in mediis, cum moderatione; in poſtremis, cum aliquo exceſſu, perturbationum genus inueniatur. Ideo Plato in Epinomide dixit, Dęmones prope nos exiſtẽtes nunquam manifeſtè conſpici; prudentiæ mirabilis eſſe participes; acuto inſuper ingenio, tenacique memoria, cogitationes omnes noſtras cognoſcere; honeſtos, bonoſque homines mirificè diligere; improbos vehemẽter odio proſequi, vtpote, qui doloris participes ſunt. Sic itaque manifeſtè Plato aſſerit perturbationibus ſubiici; quarum

fontes ſunt voluptas, & dolor. Sed cùm perturbationibus afficiantur, dubium eſt; An amores, inimicitiæ, æmulationes, pugnæ, locũ habeant in eis? Si loquimur de naturali quadã eorum inter ſe mutua dilectione, propria voluntate cõfirmata; profectò hæc eis conuenit, cùm ſimilia omnia naturali quodam inſtinctu mutuò ſe diligant: Si loquimur de amore venereo, de propriè ſumpta contrarietate, & lite; hæc cùm abſint ab homine rectè diſpoſito, longè magis aberunt à gradu ſupra hominem à Platone collocato. Aſſero tamen, hæc eis cõuenire ſimilitudine quadam; quatenus diuerſi gradus Dæmonum, ad diuerſas vitas ducũt, diſtinctoque generi vitæ præſunt. Quapropter, quæ à nonnullis dicuntur de incubis, & ſuccubis; longè abeſſe cenſeo à ſententia Platonis. At maior oritur dubitatio, & eſt; num Dæmones per ſuorum corporũ alterationes, perpeſsionem ſentiant, & lædantur. Proculdubio; cùm non pendeant à corpore, & ſolùm corpore, vt vehiculo vtantur; non ægrotant, nec patiũtur, vt homines: In hoc ſenſu, veram ad aures Platonis cenſeo ſententiam Iamblici in libro de myſteriis Ægyptiorum, Dæmones eſſe à paſsionibus immunes. Quod verò dictũ fuit à Pſello, Dæmones igne torqueri poſſe; non Platonicum cenſeo, ſed ex Theologorum fontibus hauſtum. Aſſero tamen, Dæmones, non per ſenſum tactus, vt homines; ſed per affectum, quo in corpus ſuum ſunt procliues, ex opinio-

opinione Platonis, dolore modo quodã poſſe affici, ex læſione ſui corporis; vt euenit hominibus, ex læſione rei ab eis dilectæ. Cognoſcúntne ſe mutuò Dæmones? alloquuntur? reſpondent? Ita profectò. Nam ſi iumenta, & homines, ſe cognoſcunt; longè magis ſe cognoſcent Dæmones, quibus exactior conuenit cognitionis gradus. Nam, vt ait Plato in Epinomide, Dæmones prudẽtiæ mirabilis ſunt participes, acuto ingenio, tenacique memoria, cogitationes omnes cognoſcunt, &c. Cognoſcunt itaque ſe mutuò Dæmones, & cùm cognoſcant, ſibi mutuò proprias animi affectiones manifeſtant: quod humanis interrogationibus, reſponſionibusque proportione reſpondet: non enim id efficiunt cum vocis ſtrepitu, ſed ſine eo: carent nanque inſtrumentis vocis, nec eis egent: quoniam ſonus ob diſtantiam requiritur, & ob notionum animi latentiam: at animi puriores, craſſo corpore ſoluti, vel non diſtant; vel notiones habent adeò ſibi cõſpicuas, vt ſine ſtrepitu, mutuò ſibi eas manifeſtent. Et nedum ſine ſtrepitu loquuntur inter ſe, verùm etiam cum hominibus, dum ad varias eos hortãtur actiones, cum hominibus tamen id longè ſecùs efficiunt: nam dicuntur loqui hominibus: quatenus iũcti cum anima eorum, excitant in ea rationes congenitas, animæque inſertas, vel imagines afferunt virtuti imaginandi, per quas, vel eos hortantur, vel dehortãtur. Sic Socrates ſæpè vocem ſui Dæ-

monis audiebat eum dehortantem; quam tamen alij adſtantes non audiebant. Valent etiam Dæmones cum ſtrepitu loqui; dum hominibus inſinuantur, eorumque vtuntur inſtrumentis.

*Munera Dæmonum.*

## Cap. VII.

NIl in vniuerſo ſuperuacaneum, nil inutile, nil otio penitus torpens inuenitur; ſed quò res eminentioris ſunt conditionis, eò eminentiores præbent vſus, & ſalubriores pariunt fructus, Dæmones, qui ſub orbe Lunæ obtinent principatum; nedum proprium in vniuerſo gradū complent, pro mundi perfectione: verùm inſuper conducunt ad citò, rectè, exactè implenda mandata Dei; ad regionum, vrbium, hominumque cuſtodiam. Nonnulli enim vniuerſæ regioni, alij vrbibus, quidam ſingulis hominibus præſunt. Hi ſunt, quorum miniſterio animæ in corpora deſcendunt; quorum conſilio in vita diriguntur; quorum reuelatione varia cognoſcunt; quorum opera pœnas luunt; & purgantur; demum, quorum auxilio ad ſuperna eleuantur: adeò, vt non iniuria humana fœlicitas Eudæmonia nuncupata ſit; quia bono Dæmone duce eam conſequimur. De his dixit Plato in Epinomide, in ſomniis, in vaticiniis percipi; per voces audiri, in ſanitate, in ægritudine, in vitæ exitu conſpici; & propterea multa ſacra eis fuiſſe inſtituta. Hiſtoriæ nobis pate-

patefaciunt, experientiaque cognoſcimus; hominum nonnullos eſſe fortunatos, alios infortunatos: mira ſæpè conſpicimus, vel legimus contigiſſe, attinentia ad ſortes, ad furores, ad ægritudinum curationes, ad ſomnia, ad oracula, ad diuinationē; quorum nec quidem probabilem valemus afferre rationem, niſi Dæmonum auxilio fuiſſe facta confiteamur. Pomponatius Peripateticus ſolertiſsimus, ingenio ſublimi, iudicio acri præditus; cùm in multis ſe admirabilem præſtiterit: dum in lib. de Incantationibus, neglectis Dæmonibus, plurimarum rerum cauſſas nititur afferre; ſe prorſus deridēdum patefacit; cùm opera eminentiſsima dicat à cauſsis leuiſsimis profluxiſſe. Multa itaque, & præclara ſunt opera Dæmonum. Propterea dixit Proclus; Dæmon ſolus omnia mouet, cuncta gubernat; noſtra omnia excolit, atque diſponit: enimuero rationem perficit, perturbationes temperat, Naturam inſpirat, corpus cōtinet, fortuita ſubminiſtrat, fatalia complet, Prouidentiæ dona largitur; vnusque hic exiſtit vniuerſorum, quæ in nobis, & circa nos ſunt, rector, totius vitæ gubernacula tenens, &c. Quæ Procli ſententia non ita accipienda eſt, vt homo penitus in Dæmonum manibus ſit collocatus: adeò, vt ſua libertate ſit deſtitutus; ita enim approbanda non eſſet: ſed eatenus eſt vera, quatenus plurimum in nobis, ex Platonis ſententia, poſſunt Dæmones; & vim habent in animam potiùs,

quàm in mentem; mens enim Dæmoni non ſubiicitur. Sed hoc eſt conſideratione dignũ, nunquid vni homini vnus ſolus præſit Dæmon, vel multi præeſſe poſsint? Profectò vnus eſt proprius, plures poſſunt eſſe aduentitij: & qui proprius eſt, nunquam in eodẽ vitæ curriculo hominem deſerit; ſed à genitura, vſque ad præſentiam iudicis vitæ, eum gubernat, & ducit; vt Socrates in Phædone teſtatur: quæ ſententia abſolutè vera erit, ſi nomine Dæmonis participatam mentem intelligemus. Cùm igitur tot ſint munera Dæmonum; iurè contigit, vt olim apud Ægyptios, Chaldæos, Arabes, Dęmonum cultus ſummopere floruerit; qui hodie penè in vniuerſum euanuit, cùm opera Dæmonum non tam frequenter appareant. Cuius rei Plato ſuperno lumine deſtitutus, conuenientem rationem aſsignare non poſſet: Nos autem optimè ſcimus, Chriſtum à prauis Dæmonibus priſcum imperium, & facultatem ſubſtuliſſe; adeò, vt iure cum eorum facultate illorum cultus apud homines olim deluſos magna ex parte delituerit.

*An dentur Dæmones mali.*

## Cap. VIII.

Magna inter Academicos eſt altercatio, an Dæmones omnes debeant cenſeri boni; vel etiam Dæmones inueniantur, qui mali ſint. Plurimi cenſent, Dæmones omnes eſſe bonos: quoniã non

non videtur rationi conſentaneum, vt natura homine eminentior, adeò ſit peruerſa; vt ſit ſui conditione mala, & ſolùm ad hominũ perniciem & detrimẽtum parata: hoc enim prorſus etiam ab humana conditione eſt alienum: Præſertim, quia ſi Dæmones ſunt Deorum interpretes, internuntij, & miniſtri; ſi Dei mãdata implent; Prudentia, & Sapientia pollent; minimè videntur poſſe eſſe mali, & ad ſola mala parati, cùm hæc ſit diſpoſitio aduerſa naturæ: & præſertim, quia apud Platonem, omnis malus dicitur ignarus; ignorantia in Dæmone non habet locum. Ideo Plato in Cratylo, Dęmones aduenas fieri aſſeruit ex eorum animis; qui in ætate aurea boni, & ſapientes extiterunt. Quare de ratione Dæmonum eſſe videtur, vt boni ſint, non mali; nam Semidei dicuntur, & Heroes: quod eis non conueniret, niſi boni eſſent. Ex aduerſo, frequenter de peruerſo, malo, & deprauato Dæmone mentio fit apud Porphyrium, Pſellum, & alios Platonicos; ſic Calcidius pollutos, & infectos admiſit Dæmones; Ægyptij occidentalem plagam prauis Dæmonibus eſſe aſsignatam affirmabant; Democritus bonos, & malos exiſtimans dari Dæmones, deprecabatur, vt bonos ſemper haberet obuios; Mercurius ter maximus, ſalutares, & noxios inueniri Dæmones aſſeruit: propterea veteres carpebat, qui diffidentes, vel eſſe numina ſuper cœlum, vel hominũ vota ad cœleſtia peruenire, ſtatuas con-

ſecerunt domicilia Dæmonum, quos quaſi familiares colerent Deos: aiebat enim, quamuis nonnunquam ſalutares Dæmones deſcenderent, ſæpè tamen deſcẽdere etiam noxios. Sic de ſuccubis, & incubis, adulterio, vſuique venereo inſeruientibus fit ſermo; adeò, vt, communi Gentium, Populorumque voce, mali Dæmones concedãtur. Pro cuius difficultatis determinatione dicendum cenſeo, Dæmonis nomen apud noſtros Theologos in malam partem vſurpari; pro denotanda peruerſa conditione eorum Angelorum, qui ob ſuperbiam è cœlo in terras deiecti fuerunt; qui deſtituti gratia Dei, eius facti æmuli, ſub imagine boni, & veri, tentant homines à Deo auertere, & ad ſe conuertere: ad quod etiam efficiendum, minis, & verberibus vtuntur. Plato deſtitutus lumine fidei, hanc Angelorum peruerſionem non cognoſcens, conſiderauit Dęmones, non ex peruerſione ortos; ſed vt naturam ſupra hominem collocatam; quales ſunt Angeli rectè, ſecũdùm naturam, animique electionem diſpoſiti: ideo Dęmonum genus, abſolutè bonum eſſe cenſuit; & ſolùm admiſit Dæmones malos ex euentu, & quo ad hominum iudicium; qui dum puniuntur, prauos, & infames iudicant miniſtros iuſtitię. At non defuerunt, qui vel ducti ſimul ratione, & experientia; vel cupientes Platonis ſententiam cum ea Theologorum pro facultate conciliare; Dæmones bonos, & malos, quaſi Angelos lucis, & tenebrarum

brarum etiam cum Platone ſtatuerunt; cùm tamen, ex ſententia eius, omnes debeant cenſeri boni; deprauationem autem Angelorum, & permutationem ex Angelis lucis in Angelos tenebrarum, ſolo ſuperno lumine cognoſcamus. Hinc in 2. de R. P. aſſeruit, Dæmonum naturam eſſe ſine mendacio; nec nos decipere, vel fallere.

*De Syluanis, Faunis, & ſimilibus.*

## Cap. IX.

Frequenter apud priſcos, recétioresque auctores de Faunis, Nymphis, Dryadis, Syluanis, Satyris, Panibus, Manibus, Laribus, Lemuribus, Laruis, Fatuis, Incubis, Succubis, Pygmæisque fit mentio. Georgius quoque Agricola in calce libri de Animantibus ſubterraneis inquit: Subterraneorum animantium haberi poſſunt Dæmones, qui in quibuſdam fodinis verſantur: quorum duplex eſt genus: vnum truculentum, & aſpectu terribile; quod plerunque metallicis infeſtum, inimicumque eſt: Alterum mite, &c. De his ſententiæ ſunt variæ. Quidam cenſent, eos eſſe homines, qui vel ingenio valeant, vel furore ſint correpti, vel atræ bilis ſpiritu elati: Alij, plura eorum eſſe naturæ monſtra, vel Poetarum commenta. Proculdubio difficile eſt de Dæmonibus certi aliquid humana ratione inuentum enunciare; quod etiam ipſemet Plato in Epinomi-

de, agens de Dæmonibus confitetur: inquit enim; Scire quiſque debet, mortali naturæ nõ eſſe poſsibile, certi quicquam de Dæmonibus cognoſcere. Vt tamen aliquid Academicorum doctrinæ conſentaneum, & probabile proferamus; dicendum cenſeo: Nemini inficias eſſe eundum, plurima, quæ de his apud varios auctores leguntur, vel eſſe fabulas; vel inanes apparitiones, ſiue imaginationes; vel cum fabulis, & fictionibus maximè eſſe permixta: at non ita eſſe fabulas, vt etiam aliquid veri nõ includant. Quod de Pygmæorum genere dicitur, fabulam cenſeo: nõ enim vſpiam in terrarum orbe huiuſmodi homunculorum genus eſt inuentum; quod ex ſui natura, non autem per aliquam principiorum generationis deprauationem, tale ſit. Incubos, & Succubos cẽſeo eſſe falſas imaginationes, & ſomnia dormientium hominũ, ad libidinem procliuium: nõ enim id mihi veriſimile eſſe videtur, quod aiunt nonnulli; dari Dæmones, qui genitale ſemen emittãt, ex quo puſilla animalia orìantur. Faunos, Syluanos, & ſimiles, cenſeo eſſe Dæmones poſtremæ regionis incolas; vel ruſticæ, vel piſcatoriæ, vel paſtoralis vitæ præſides: qui cùm corpore vtantur denſiore, etiam nonnunquam idipſum ſponte coarctantes, ſeſe noſtris oculis offerunt. Sic veram cenſeo ſententiam Maximi Tyrij; quòd Dæmonum, quidam ruſtici, alij vrbani ſint. Inſuper Laruarum, Lemurum, & ſimilium muneribus, cen-
ſeo

ſeo frequēter fungi Dęmones peregrinos; hominum ſcilicet animas corporea vita functas. Demum nonnulla ex dinumeratis, non Dæmones ſunt: ſed vel iumenta humanam formam præſeferentia, vel informes homines; adeò, vt non vna eorum omnium ratio ſit. Sibyllas, ex horum numero eſſe non cenſeo: ſed cum Theologis rectè ſentientibus affirmo, eas fuiſſe fœminas prophetico ſpiritu repletas; cū Platone verò, fuiſſe fœminas fatidicas, munere Dæmonum futura præſagientes.

## *De nutritione Dæmonum.*

## CAP. X.

NVtriri Dæmones Porphyrius, aliiq; nonnulli aſſeruēre: quam ſentētiam abſolutè falſam, in parte tamen veram exiſtimo. Quòd Dæmones facultate nutriente, caloreque illo naturali viuentium ſint præditi, vt animalia terrena, falſum eſt: non enim os, epar, venæ, cæteraque nutritionis inſtrumenta eis conueniunt; nec corde illius caloris fonte ſunt præditi. Eſt tamen vera in parte, & ſimilitudine quadam. Quatenus eorum corpora, per nonnullos halitus, & fumos lęduntur; per alios reficiuntur, recteque diſponuntur: eorum nutritio ſimilis eſt nutritioni halituum, ſpongiarum, & ſimilium; dum imbibunt humida, vel alia ſibi conuenientia corpora. Inſuper ea Dęmonum eſt potiùs alteratio quędam, quàm verè nutri-

tio. Cùm itaque ſolùm metaphoricè nutriantur; ſolùm etiam metaphoricè verũ erit, quod dicitur à Porphyrio; eos pinguere, & repleri. Et quoniam Dæmones affectu quodam erga corpora ſunt affecti; hinc euenit, vt halitus, fumosque nonnullos vitent, ad alios libentiſſimè accedant. Inſuper, quoniam noſtri corporis ſpiritus miro ſunt ſimilitudinis nexu cũ eorum corporibus iuncti; propterea curandum eſt, vt abſtinentia ab immundis purgemur; & conuenienti aeris, & ciborum electione, purioribus ſpiritibus repleamur; noſtræque habitationes fœlici cœli aſpectui ſint expoſitæ; vt nos ſimus potiorum Dæmonum habitationes. Nec propterea neceſſariam iudico eam ab eſu carnium abſtinentiam, quam præcepit Porphyrius, innixam potiùs Pythagoricis fictionibus, quàm abſoluta veritate: ex multis enim aliis alimentis deteriores, quàm ex carnibus reficiuntur ſpiritus. Nec propterea eos damno, qui alia conuenientiori ratione ab eſu carnium abſtinerent. At ſi nutriri modo aliquo dicuntur Dæmones, num etiã dormire, & ſomniare dicãtur? Minimè profectò: non enim ita eorum operatio à corpore pendet, vt ea terrenorum animalium; nec ita per ſenſum, & imaginationem operantur, vt illa; ſed longè ſecùs: nec corde, & cerebro ſunt præditi, inſtrumentiſque ſenſuum, ſine quibus ſomnus fieri non poteſt; nec alimentum illud metaphoricè ſumptũ, valet efficere ſomnum.

num. Solùm itaque metaphoricè, & ſimilitudine quadam dicere poſſumus, Dæmones dormire, & vigilare; dũ eorũ vehiculũ, magis, vel minùs fuerit externo humore perfuſum.

*Quomodo vel in ſtatuas, vel in homines trahantur Dæmones.*

CAP. XI.

EX Plotini, Ægyptiorumque ſententia, Natura Maga eſt; ob mirum nexum rerum natura conſtãtium, certumque ordinem earũ; ex quo antipathia, & ſympathia conſurgit. Inde euenit, vt rerum vna à ſe repellat alteram, vel ad ſe aliam ſecum cõſentientem alliciat. Nam ſi oleo illita ligna, valet ad ſe flammam trahere; Herculeus lapis, ferrum; longè admirabilior, ac vehemẽtior in re incorporea inuenietur attractio, ac repulſio. Et quẽadmodũ ea nõ eſt violẽta attractio; ſed naturalis; ita lõgè minùs hęc violenta erit, ſed naturalis, & volũtaria. Simul trahit quotidie mundus hic mortalis à mũdo cœleſti diuinum aliquid per naturam; & præſertim, dum fœtus in aluo mollis, certo modo contemperatus, diuinam à cœlo haurit animam. Quòd ſi mortalia à cœlo aliquid hauriunt, quantò magis à corporibus ſibi proximioribus aliquid haurire valebunt? Hinc itaque ducit ortum vis magiæ naturalis; per quã corpora natura conſtantia, & ſpiritus, & Dæmones valent allicere: præſertim, dum ad id

efficiendum acceſſerit conueniens cœli, luminumque eius aſpectus. Quæ Magia eatenus eſt naturalis, quatenus à principiis pendet per modum naturæ operantibus, & cum conditionibus propriæ naturæ eorum conuenientibus: abſolutè tamen eſt ſupra naturam; cùm anima, & Dæmones, ſupra naturam ſint collocati. Sic itaque dixerunt Ægyptij, affirmarunt Iamblicus, ter maximus Mercurius, & alij; poſſe confici ſtatùas ex corporum quibuſdam naturis, certæ cuidam Dæmonum conditioni reſpondentibus, ſub conuenienti cœli aſpectu; quæ Dæmones traherent, ad interrogationes reſponderent, aliaque opera mira efficerent. Hæc Magia apud Priſcos ſummopere floruit, qui Dæmonum opera vtebantur; vel vt, tanquam interpretes Deorum, eis diuina reuelarent; vel pro abſoluendo aliquo opere, ſupra eorum vires collocato; vel pro cognitione rerum phyſicarum; vel pro miro aliquo per naturam latenter efficiendo; vel pro futuri præcognitione; & ſimilibus. Cùm enim Dæmones ſint corpore liberiores, ingenio perſpicaciores, prudentia ſagaciores, vt Plato in Epinomide docuit; multa quæ hominem latêt, lucidiſsimè valent conſpicere. Et quoniam Dæmones diuerſæ ſunt conditionis; ideo Dæmones varij, rebus variis ſunt addicti: adeò, vt non iniuria Max. Tyrius aſſeruerit, Dæmonũ quoſdam exactiùs cognoſcere pertinentia ad Artem medicam; alios, ad res metallicas; nonnullos,

nullos, ad ſecretiora naturæ arcana; quoſdam, ad Deorum conſilia; & ita de cæteris. Ex his, quæ hactenus de Dæmonibus dixi, conſtat primò; Ariſt. ſententiam de natura, operibus, & conditionibus Dæmonum, toto, vt aiunt, cœlo ab ea Platonis diſtare: hæc enim omnia à Platone affirmantur, quæ vniuersè renuuntur ab Ariſt. Conſtat ſecundò, Platonem nouiſſe quidem genus Dęmonum; affirmaſſe tamen, ſe nil certi de eis dicere poſſe, cùm mortalibus ſint occulti: ná ſolo lumine fidei, procul ab errore à nobis cognoſci poſſunt. Conſtat demum, quòd, cùm exactè humano ſtudio natura, & conditio Dæmonum cognoſci non valuerit; iure antiqui in varias, & inanes ſuperſtitiones lapſi ſunt: vel enim excogitare non valuerunt, quòd dentur Dæmones mali; vel ſi in malorum cognitionem per opera deuenerunt, quomodo euaſerint mali, non perceperunt; vel Dæmonum deluſiones, & fraudes, res ſerias, & diuinas exiſtimarunt; vel demum ea, quæ humano appetitui, & menti conueniunt, Dęmonibus tribuerunt: mens enim, & appetitus, ſunt duo illi pugnantes Dæmones, qui nobiſcum oriuntur, & viuunt; quorũ vnus ad bonum, alter ad malum ducit. Propterea nos, repulſa ignorantiæ nube, abſciſſo cæcitatis velo, in veritatis lumen cum noſtris Theologis aciem mentis conuertamus; & ea ſola conſtanter affirmemus, quæ dilectis ſuis dignatus eſt reuelare omnipotens Deus.

# STEPHANI THEVPOLI, BENEDICTI F. PATRITII VENETI,

## ACADEMICARVM *Contemplationum,*

## LIBER VII.

### De natvra, ac de principiis rerum natura conſtantium.

*Intentio, & ordo explicatur.*

Cap. I.

Hactenvs, duce Platone, præcipuos luſtrauimus totius vniuerſi gradus: & naturæ ordinem ſequuti, exorſi ab vno ſupra ea, quæ ſunt, collocato; ad mentem, caput entis, Solemque intelligibilem deſcendimus: mox ideas, quæ verè ſunt, intuiti, ad animam deuenimus, potioresque ejus participationes; nempe ad eam mundi, ſphærarum, & Dæmonum. Quapropter rationi videbitur fortè conſentaneum, vt modò de homine loqui debeamus: qui naturæ ordine, ex Platonis ſententia, Dæmonum generi ſubordinatur.

Verùm,

Verùm, quia homo inter ea numeratur, quæ in naturæ manibus collocantur: verè ortui ſubiiciuntur: & ex corpore conſtant penitus mortali, naturalique generationi propriè obnoxio: neceſſarium eſſe duxi, priùs de natura, deque principiis corporum natura conſtantium loqui: vt explicatis corporei hominis vndique principiis, cumulatiùs de eo, eiuſque conditionibus verba facerem. Verſati hactenus ſumus in luce, & lumine; verſabimur modò in natura, quæ vmbra quædam eſt; vt mox in materiæ tenebras deſcēdamus: quæ nedum verè non eſſe dicitur; immò neque etiam id valet aſſequi, vt fiat. Et iure quidem à luce in tenebras progredimur, cùm ſolùm per lucem nobis datum ſit, vt tenebras modo aliquo intueamur. Nec mirari quiſpiam debet, ſi tam longè à vulgi ſententia, communique loquendi modo recedimus: cupimus enim, non ſenſu, ſed ratione, & mēte philoſophari. Cenſent vulgares homines, nil eſſe ſupra corpus; & propterea ſolam materiam, & corpora verè eſſe dicunt: qua de re carpuntur à Peripateticis, qui ſupra materiam, & corpora, formas, animas, cœleſteſque mentes reperiri affirmant. At ipſi quoque arguendi eſſe videntur; quatenus corporea, quæ re vera non ſunt, ipſi abſolutè eſſe affirmāt: Nam apud Ariſtotelem ens multipliciter accipitur. Nōnunquam vſurpatur in ſua magna latitudine; & ſic abſolutè vnumquodque nomine entis denotatur. Non-

nunquam accipitur, vt contradiſtinguitur à primo rerum principio: in qua ſignificatione Deus dicitur principium entis; mundus verò corporeus, ens nuncupatur: Ideo Ariſtoteles in 8. Phyſicorum 52. dixit manere ens ipſum, hoc eſt, corporeum mundum in ſeipſo, & in eodem; principio enim manente, neceſſe eſt omne manere continuum cum principio. Demum accipitur ens pro compoſito mortali; cuius entis materia, & forma, dicũtur principia: in qua ſignificatione Ariſtoteles eſt vſus nomine entis in primo Phyſicorum 69. inquiẽs; Vt æs ad ſtatuam, ita materia rerum naturaliũ ſe habet ad id, quod eſt: In eadem quoque ſignificatione cenſeo Ariſtotelem eodem nomine fuiſſe vſum in 2. Phyſic. cont. 1. dum dixit; Eorum, quæ ſunt, quædam eſſe natura, quædam propter alias cauſſas; & propterea in eo loco, non cœlũ, ſed ſola mortalia, inter ea, quæ natura conſtant, dinumerauit. Plato intimiùs conſiderans cõditiones rerum; quoniam corporea eſſe vmbras in fluxu collocatas optimè nouit; propriè verò, & abſolutè eſſe, denotat quid verum, quid permanens, & conſtãs: propterea in latitudine mentis conſiderauit eſſe, in corporibus vmbram, & fluxum eius. Nam quemadmodum, qui ſolo corporis oculo vtũtur, ſola ea eſſe cẽſent, quæ eo vſurpãtur: qualia ſunt corpora: ita qui ſolo vtuntur oculo mentis; quo vſi præſertim ſunt ter maximus Mercurius, Pythagoras, & Plato; ſola ea, quæ

menti

menti reſpondent, verè eſſe cognoſcunt. Et quamuis lis inter Ariſtotelem, & Platonem in ſolis verbis videatur poſita; attamen ea ex rebus ducit originem: Plato enim cùm nouerit ideas, rectè nouit veras, & proprias rerum formas; quas abſolutè eſſe aſſeruit, easque ab vmbris valuit diſtinguere: Ariſtoteles, cùm ideas non poſuerit, vmbras à veris rebus non ſecreuit; ſed vmbras pro rebus amplexus eſt. Sunt itaque corporea, vmbræ rerum. Neque propterea omnia corpora æquè fieri, & non eſſe putandum eſt. Nam Cœlum, quia non tot variationibus ſubiicitur, ſed ſolùm mouetur in orbem; quamuis ratione motus, & dependentiæ per motum, dicatur fieri; attamen ob conſtantiam eſſentiæ eius, & permanſionem, modo aliquo etiam dicitur eſſe: adeò, vt in parte ſit ſimile animæ; quæ ratione actionis, & motus, dicitur fieri; ratione verò eſſentiæ, dicitur eſſe.

## *De Natura.*

## Cap. II.

Cum debeamus in vmbra corporum verſari: quoniam eorum vmbra, lumini rationum, & luci idearum reſpondens, eſt natura, vel naturæ veſtigiũ; iure primò de ea diſſerẽdum occurrit. Conſpicuum eſt, varias eſſe nominis naturæ ſignificationes: vſurpatur enim frequenter id nomen pro quauis rerum eſſentia; nonnun-

quam pro conditione, & proprietate rerum nonnunquam etiam ſecùs, vt ex 5. Metaph. & ex 2. Phyſic. apud Ariſt. colligitur. At cæteris acceptionibus poſthabitis, accipiens modò naturam, vt contradiſtinguitur ab anima, & mente; illisque ſubordinatur, ac famulatur: quid ea ſit ex Platonis ſententia, mihi declarandum propono. Variæ profectò fuerunt Philoſophorum de natura ſententiæ: conuenêre tamen priſci ſapientes in quadá communi, & confuſa eius ſignificatione; quatenus omnes id proximum principium, ex quo corporea conſtant, per quod intrinſecùs gignuntur, & tranſmutantur, videntur nomine naturæ ſignificaſſe. Verùm quodnam ſit id principium, vario modo explicarunt. Cenſuit Heſiodus, id eſſe terram; Thales, aquam; Diogenes, aerem; Heraclitus, ignem; Anaximander, intermedium quoddam. Sed hi longo interuallo à vero receſſerunt; quoniam ea ſunt cõpoſita, includunt naturam, & natura conſtát, nõ autem ſunt naturæ: quod ex eo patet, quia tranſmutantur, gignuntur, & intereunt. Ariſt. proximiùs ad veritatem acceſsit: nam cenſuit naturam eſſe formam, quæ in materia recipitur, & à materia pendet; ac inſuper materiam, ob propenſionem, quam habet ad formam: & propterea dixit, Naturam eſſe internum initium motus, & quietis. Verùm exactè, quid ſit natura, non manifeſtauit. Primò, quia natura non propriè eſt rei forma, vt forma; & abſolu-

tè ini-

tè initium motus eſt, ſed præſertim, vt initium generationis rerum: nam φύσις Græcè, natura Latinè, dicta eſt à φύεσθαι; quod eſt naſci, & generari; vt indicetur, eam perinde generationis eſſe principium, ac ars, eius æmula, ſit principium rerum effectibilium. Nouit profectò etiam Ariſt. naturam, & naſci ſiue generari, inter ſe adeò eſſe connexa: vt vnum ab altero deduceretur: ab exacta tamen veritatis explicatione receſsit, quatenus cēſuit generationē dici naturā, quia via ſit in naturā; cùm potiùs dicēdū ſit generationē dici naturā, quia naturæ eſt opus, & à natura proficiſcitur; quemadmodū effectio artificis ars appellatur, nō quia ad artem deducat, ſed quia pendet ab arte; artisq; leges, & rectitudinē ſeruat. Nec eſt neceſſe, vt sēper nomē recipiatur à fine; quod ex eo patet, quia generatio ducit ad animam, quæ re vera non eſt natura. Inſuper, cùm Natura ad naſci præſertim referatur, minùs rectè cenſuit Ariſt. eam primò dici principium motus in loco; cùm potiùs primò debeat cenſeri principium generationis rerum. Præterea materia, quæ ſolùm ſubiicitur, ſolumque apta eſt, vt tranſmutetur; nequaquam debet cenſeri natura; ſed potiùs naturę, tanquam artificis, materia, vel eius vehiculum: eſt enim ex ſe penitus ſterilis, & nil generare valet. Præterea Ariſt. nexum naturæ cum anima, & dependentiam, non manifeſtauit; adeò, vt ex eius explicatione minimè ſit conſpicuus nexus vniuer-

ſi, & graduum eius. Propterea rectiùs Plato dixit: Naturam eſſe vitalem, ſeminariamque virtutem ab anima mundi infuſam materiæ. De qua rectè dixit Plotinus, id ipſum eſſe naturam, quòd ab anima mundi eſt ordinatum: adeò, quòd, vt mens à Deo, anima à mente; ita natura pendet ab anima. Inſuper, vt mens à Deo ideas recipit, anima recipit rationes à mẽte: ita natura recipit ſemina ab anima. Demum, vt mens à Deo, ita anima à mente, itaq; natura ab anima regitur, & dirigitur. Ex quibus primò conſpicuum eſt, quomodo rerum gradus nectantur, pendeant, & dirigantur: Conſtat inſuper, naturæ opera verè eſſe opera Dei: cùm primò ab eo omnia proficiſcantur, & dirigantur: Præterea conſtat, quomodo natura, quamuis proximè nil cognoſcat, tamen oculatiſsima dici mereatur; & opera eius eminenti conſilio, & prouidentia eſſe facta, iure merito dici poſsint. Propterea nõ iniuria Plotinus Enneade tertia, naturæ inſertam eſſe ſpeculationem, & eius effectiones modo aliquo ſpeculationes dici poſſe, exiſtimauit.

### *Opinionis Platonicæ de Natura, clarior explicatio.*

### CAP. III.

QVoniam Platonis de Natura ſententia, vt pulchra, & erudita; ita obſcura eſt, & à paucis exactè explicata: Propterea pro eius lucidiori explica-

plicatione,altiùs nõnulla repetẽda cenſeo. Vt omnia per conuenientes gradus à primo principio proficiſcantur: putandum eſt; quemadmodum ab ipſo vno cum mente, emanant ideæ omnes; à mente cum anima, cunctæ rationes prodeunt: ita ab anima cũ natura produci ſemina, quæ omnium rerum ſint proxima generationis principia. Natura itaque animæ ſubſternitur, & ab anima ſemina recipit: per quæ omnipara, & fœcundiſsima nuncupatur. Inſuper, Natura duplex eſt: vna præcipua, & propriè naturæ nomine honeſtanda: altera eſt,veluti vmbra,& veſtigium eius. Propriè natura, eſt vis, & poſtrema quædam vita; quæ ab anima pendet,& materiæ infunditur: Et eſt vis ſeminaria,ſeminariis rationibus prædita; per quam materia materiatis affectionibus perficitur. Hæc non eſt anima, ſed infra animam poſita,ab eaque profluens. Anima nõ eſt; quia non ſe mouet, ſed ſolùm aliud; cùm ſit propriè principium generationis alterius: nuncupatur tamen vita, quia ab anima fluit, intrinſecusque ad formandum per ſuas rationes ſeminarias excitatur; & eſt, veluti perennis actus animæ; poſtremus tamen, & in materiam tendens, ac demum eſt propriè generationis principium; generare autem eſt munus vitæ:& dicitur vita poſtrema,quia ad materiæ affectiones eius actio terminatur; & ſub ea, non alia vita, ſed qualitatũ vmbrarumque eſſentia, quæ latiùs extenditur, quàm vita, re-

peritur; & poſtrema materia, quæ nedum infra vitam, ſed etiam infra eſsētiam collocatur. Huiuſmodi natura,ea eſt, cui ars conuenienti ratione reſpondet: vt enim ars recta ſua ratione eſt principium effectibilium; ita hæc natura ſuis ſeminariis rationibus eſt principium generationis rerum natura conſtantium: differunt tamen; quia Ars,non in ſuam, ſed in alienam materiam operatur; Natura verò intrinſecùs in propriam materiam ſuas vires effundit. Hæc itaque propriè natura eſt; cui ſeminariæ rationes ita ſunt inſertæ, vt minimè ſint in ea, tanquam accidentia eius; ſed potiùs ſint ipſamet natura,& eius eſſentia. Altera reperitur, quæ quamuis natura ſæpè nuncupetur,nō tamē propriè natura eſt; ſed vmbra, & veſtigium eius: vt enim in conſideratione animæ aſsignabatur, & anima, & ſimulacrum; ſiue vmbra, & veſtigium animæ: ita loquendo de natura dicimus,infra propriè ſumptam naturam dari veſtigia,& vmbras eius: huiuſmodi ſunt materiatæ formæ, ſiue affectiones materiæ; quæ, non principia, ſed inſtrumenta ſunt: cùm enim non ſint vitæ, nil generare valent; ſed ſolùm materiam reddunt procliuem, & aptam ad generationem: ideo inſtrumenta potiùs naturæ, quàm natura dici merentur; attamen ea quoque nonnunquam, naturæ nomine appellantur.

*Diuiſio*

*Diuiſio Naturæ in vniuerſalem, & propriam.*

CAP. IIII.

QVemadmodum Anima, alia eſt totius vniuerſi anima, alia verò ſingulorum viuentium; ita Natura, quæ animam inſequitur, quędam eſſe dicitur vniuerſi natura, quædam verò propria ſingulorum. Natura communis eſt vis ſeminaria, à mundi anima infuſa materiæ; de qua multa à Plotino in libro de natura, & contemplatione dicuntur. Natura verò propria, eſt vis ſeminaria, à propria ſingulorum anima propriæ materiæ tributa. Ex quo euenit, quòd quamuis natura vniuerſalis ad omnium generationem conducat; non tamen valet generare leonem, vel equum, & ita de ſingulis, ſine propria equi, vel leonis natura. Si per fundamenta, & principia Ariſt. vniuerſalem naturam explicare vellemus; nil aliud dicere poſſemus, niſi quòd ea eſſet, vel Deus, vel Cœlum, vel vniuerſa cauſſarum ſeries: quarum nulla, propriè natura dici meretur. Hanc enim propriè ſumptam naturam, Peripatetici non cognouerũt: cùm neque etiam putarint dari animam vniuerſi, cuius hæc communis natura dicitur eſſe proles. Ex his patere poteſt, minùs rectè Simplicium in 2. Phyſ. ſententiam Ariſt. de natura, cum ſententia Platonis permiſcuiſſe; valde enim diuerſa eſt opinio eorum; adeò, vt conciliari minimè poſsint. Inſuper patet, perpe-

ram ſenſiſſe Philoponum, dum in 2. Phyſic. dixit definitionem naturæ ab Ariſt. traditam, eſſe imperfectam: & ita debere perfici, dicendo: Naturam eſſe vitam, ſiue vim, quæ per corpora diffunditur; eorum formatricem, & gubernatricem; initium motus, & quietis; in quo eſt primò, & per ſe. Hoc cùm dicat Philoponus, primò imperitè ſentẽtiam Platonis cum ea Ariſt. permiſcet: quod enim addit, præſertim Platonicum eſt. Præterea definitionem, quam Ariſt. vult eſſe communem, & ipſemet communem affirmat, ita contrahit; vt non amplius ſit communis, ſed ſoli formæ conueniat. Inſuper, ex communis naturæ declaratione colligi poteſt recta explicatio illius ſententiæ, quam etiam Ariſt. in primo cœli 32. approbauit; quæ eſt, Deum, & Naturam nil fruſtra facere: quæ ſententia, de vniuerſi natura vera eſt: dicimus enim Deum, vt cauſſam primam; naturam, vt vitam poſtremá, & cauſſam proximam, nil fruſtra facere. Ex qua ſententia colligitur primò, quòd ſi extrema nil fruſtra faciunt, etiam media nil fruſtra facere dicuntur. Inſuper colligitur, opus naturę eſſe opus Dei: ac, vt dicebat Plotinus, eſſe contemplationem quandam; quatenus eſt abſolutio primæ contemplationis. Ex cognitione etiam naturæ communis, & animæ vniuerſi, conuenientem rationem aſsignare valemus generationis animalium quorundam, & plantarum, ſine proprio ſemine eorum; ſed vel ex halitibus cum humi-

humida terra permixtis, vel ex putri aliqua materia:Hæc enim carentia vita,vitam producere non poſſent, niſi per animam mundi, & vniuerſi naturam, in ea materia ineſſent latentia ſemina viuentium. Sed iure aliquis dubitauerit,quomodo ex Platonis ſententia dictũ eſt,Naturam eſſe præcipuum,& verum generationis principium, & eſſe vim ſeminariam: cùm ex aduerſo Simplicius, qui Ariſtotelem per Platonem explicat,affirmet,& in ſecundo de naturali Auſcultatione, & in ſecũdo de Cœlo; Naturam eſſe principium patiens, & eſſe propéſionem quandam materiæ ad formam; & propterea inter materiam, & formam, modo aliquo mediare. Cui difficultati duobus modis ſatisfacere valemus. Primò, aſſerendo Simplicium id dicere, non de prima, & propriè ſumpta natura; ſed potiùs de vmbra eius, per quam materia ad formam paratur,& procliuis redditur. Hinc in ſua digreſsione ſecundi de naturali auſcultatione dixit Simplicius, propriè ſumptam naturam, eſſe vitam poſtremam,& eſſe propriè principium efficiens proportione reſpondens arti: ideo dubitauit, an de hac propriè ſumpta natura verba fecerit Ariſt. Secundò dicere valemus, quòd etiam natura propriè ſumpta, eſt potiùs idoneitas, & via ad formam, quàm propriè principium motus; quoniam eſſe propriè principium motus,ſoli conuenit animæ. Inſuper, vis ſeminaria mediare dicitur; quatenus non eſt id, cu-

ius eſt ſemen, cùm poſtrema perfectione; ſed via ad illud. Accedit poſtremò, quòd Anima dicitur propriè principium motus in loco; Natura verò eſt propriè principium generationis. Et hæc ſatis de Natura.

*De Mundo corporeo.*

CAP. V.

QVoniam Natura in corporibus verſatur, & nobis de attinentibus ad corporeum mundum futurus eſt ſermo: iure merito confusè primò, ac vniuersè de corporeo mundo loquemur: vt mox ad magis propria deuenire valeamus. Ordiar autem à variis mundi ſignificationibus; vt, de quo ſit ſermo, magis reddatur conſpicuum. Vniuerſum id eſſe dicitur, in quo cuncta in vnum verſa ſunt, & quod cūcta modo ſibi conſentaneo includit. Et quoniam variis modis poſſunt in aliquo cuncta inueniri; propterea multiplex conſurgit vniuerſum. Nam primò vniuerſum duplex eſt, vel incorporeum, vel corporeum. Vniuerſum incorporeum adhuc multiplex eſt: nam vel eſt vniuerſum ſolùm in eminentia, & cauſſa; in qua acceptione ipſum vnum, hoc eſt, Deus, eſt vniuerſum: vel eſt vniuerſum in forma exemplari; ſic mens prima, & ſingulæ ſubſequentes, ſunt vniuerſum; in ſingulis enim omnes rerū ideæ inueniuntur. Hoc eſt vniuerſum, quod verè eſt ideale, ac intelligibile. Datur in tertio gradu vniuerſum in rationibus poſitum, ad

animas

animas pertinens: ſingulæ enim animæ rationis compotes, includunt rerum omnium rationes; & propterea tot ſunt mūdi rationales, quot animæ. Altera ex parte vniuersū corporeū, vel per corpora extensū, multiplex eſt: Nā vel eſt vniuerſum abſolutè, vel in parte. Si abſolutè, hoc duplex eſt: nā vel eſt vniuersū ſeminarium; & hoc eſt natura in vniuerſa materia cōſiderata, in qua inſunt ſemina omnium: vel eſt vniuerſum iam ad frugē deductum; & hoc eſt aggregatū ex vniuerſa materia, & idearum participatione. Si verò eſt vniuerſum corporeum in parte, hoc multiplex eſt: nam vel eſt vniuerſum igneum, & purum; & huiuſmodi eſt cœlum, in quo eminentiæ, & puritates elemētorum inueniuntur, redactæ modo aliquo in naturam & conditionem ignis: vel eſt vniuerſum impurum, & tenebricoſum; & hoc eſt mūdus mortalis, in quo cuncta inueniuntur, ſed cum conditione mortali. Ideò dixit Iamblicus, in cœlo eſſe terrena, ſed modo cœleſti; in terra cœleſtia, ſed modo terreno. Inſuper, vnumquodque elementum, ex ſentētia Platonis, eſt vniuerſum; quoniam in ſingulis ſunt omnia: non enim corporea elementa, pura ſunt; ſed denominantur à ſuperabundanti; adeò, vt detur vniuerſum æthereum, vniuerſum aereum, aqueum, & terreum. Demum tot mundorum, totque vniuerſorum, voluit opifex compendium, & veluti epilogum conſtituere: huiuſmodi autem eſt homo, in quo ſin-

guli enumerati mundorum gradus, modo homini conuenienti inueniuntur: quos cùm in homine ter maximus Mercurius cõſpexiſſet, iure exclamauit; O homo, admirabilis naturę artificium. Patet, quid de mundorum gradibus, ex ſententia Platonis dicere debeamus: qui per fundamenta, & principia Peripatetica, concedi omnes nõ poſſunt; prę́ſertim, quia Ariſt. nec ideales, nec rationales, nec ſeminarios mundos ponit; ſed eos potiùs pro facultate variis rationibus reiicit: nec ita ſingula eſſe in cœlo, & in ſingulis elementis exiſtimat, vt Plato. Propterea Ariſt. ex enumeratis concedit mundum incorporeum, qui eſt omnia in eminentia: Ex corporeis, ponit mundum pro vniuerſo corporeo. Inſuper admittit mũdum paruum, metaphoricè mundi nomine deſignatum: Cœlum concederet eſſe mũdum corporeũ, ſola eminentia cætera corpora continens; non ita tamen, vt modo aliquo formas quatuor elementorum includeret redactas ad igneam puritatem. Quare ita diſſentiunt, vt ratione diuerſitatis principiorum conciliari nequeant.

## *Quomodo Mundus ſit vnus.*

## CAP. VI.

SI ad nuper dicta conuertimur, variaſque mundi ſignificationes, mũdorumque gradus conſideramus: optimè percipiemus, mundum & vnum,

vnum, & duos, & plures, & innumeros iudicari poſſe: adeò, vt à calumnia conuenienter vindicare valeamus Empedoclem; qui mundum litis, & amicitiæ excogitauit: necnó alios nonnullos, qui mundos innumeros reperiri exiſtimarunt; verè enim mũdi ſunt multi: quorum illi ſunt maiores, & magis continent; hi minùs extẽduntur, magiſque indiuidui ſunt. Eadem ratione, & via, gemitus Alexandri rectam rationem aſsignare valemus: deplorauit enim Alexand. conditionem ſuam, audiens plures dari mundos, cùm ipſe incomparabili labore adhuc vnius imperio non fuiſſet potitus. Inquiunt alij, cauſſam fletus, & lacrymarũ eius, fuiſſe deſiderium imperij inanium mundorum Democriti: ſed falluntur; non enim Alexander, qui cumulatè ab Ariſt. didicerat, vnicum eſſe mundum corporeum; tam craſſo detinebatur errore, vt putaret dari innumeros illos Democriti mundos. Sed cenſendum eſt, eum iure luxiſſe; cùm contuliſſet hunc corporeum mundum, pro cuius aſſequendo imperio laborauit, cum mundo eminenti, & diuino: nouit enim mundum hunc eſſe mundũ mortis, & tenebrarum, ſupra quem dantur alij longè præſtantiores; pro quorum adeptione inania ſunt arma, & militaris ea diſciplina, qua ſe cæteris antecellere manifeſtauit. Dãtur itaq; varij mũdorum ordines: in quibus, præter cætera, hoc eſt admirabile; vt ex omnibus, quaſi ex centro, & orbibus, vnum conſurgat

vniuerſum; omni ex parte, cunctiſque modis, vniuerſi plenitudine, & conditionibus honeſtatum. Verùm ex innumeris mundis vnum eligens, qui præſentis eſt conſiderationis, mūdum ſcilicet corporeum ex omnibus corporibus conſtitutum; aſſero vnà cum Platone, & Ariſt. eum eſſe vnum. Rationem vnitatis eius, aſsignauit Plato in Timæo inquiens; Vnus profectò eſt mundus, ſi modò ad vnius ſimilitudinem eſt formatus, &c. adeò, vt ex vnitate mundi Idealis, oſtēdat mundum corporeum eſſe vnum. Hanc rationem paruipendunt Peripatetici, & præſertim Alexander: quia etiam hominis, equi, & aliorum, vna eſt Idea; & tamen multa ſunt indiuidua ſub ſpecie, eam imitantia. At falluntur profectò; quoniam ſecùs de totius idea, quàm de idea partium ſe habet: nam de ratione Ideæ vniuerſi eſt vnitas, ac vt vnum ſolum ſit participans; nam idea vniuerſi eſt quid aggregatum ex omnibus Ideis, de cuius ratione eſt vt non poſsit à multis participari: & hoc indicat Plato addens; Quod enim viuentia omnia, quæcunque intelliguntur, continet, ſocium alterum habere non poteſt: eſt itaque de ratione vniuerſi, vt vnicum ſit. Et Ariſtot. dum potiorem cauſſam vult afferre, quæ cæterarum ſit fundamentum, ad hanc confugere cogitur; vt patet ex mundi definitione, ac etiam ex nomine: nam & vniuerſum ab eo nuncupatur, & omne, & totum, & cunctorum ordinata ſeries, & rerum

rerum plenitudo; & magnum, ac vniuerſum animal: quæ omnia indicant, de ratione vniuerſi hoc eſſe, vt vnũ ſit; ideò de ratione ideæ vniuerſi, idipſum eſſe dicitur. Scio nonnullos ex interpretibus Ariſt. exiſtimare, mundo ſolùm repugnare multitudinem ratione materiæ, non autem ratione formę: quos manifeſtè errare patet; ſi nomen, definitionem, proprietatemque mundi conſideramus; quæ ab Ariſtotele explicantur. Propterea cum Platone, & Ariſtotele dicamus; etiam de ratione formę mũdi eſſe, vt vnus ſit. Pręterea, mundũ eſſe vnũ, cõfirmatur ex efficiente, & fine: nã fluit ab ipſo vno, & ad vnũ cõuertitur, & tendit; qđ ab ipſo vno, vt vnũ eſt, fluit, vnũ eſt; quod tendit ad vnum, & proximè ex corporibus cum vno nectitur, pariter vnum eſſe debet. Demum oſtenditur mundi vnitas à Platone, ratione ſumpta à materia; quæ eſt cauſſa, ſine qua res non valent eſſe multæ: nam materia mundi, eſt corpus omne, ſub ſenſum cadẽs. Dicamus itaque: Quod conſtat ex vniuerſa materia; immò id, de cuius ratione eſt, vt ex vniuerſa materia cõſtet; neceſſariò eſt vnũ: Vniuerſum eſt huiuſmodi: Quare vniuerſum neceſſariò eſt vnũ. Ariſt. in 12. Metaph. 49. mundum eſſe vnum ex eo oſtendebat; quia primum principium, primaque entelechia, vna eſt; nec poteſt eſſe multiplex: quæ ratio ſimilis eſt rationi Platonicæ ſuprà relatæ, deſumptæ ex ipſo vno, à quo mundus pendet. Hæc tamen eſt

differentia; quia ſecùs Plato dependentiam mundi ab vno manifeſtat, quàm Ariſt. & magis ipſum vnum ſupra mũdum eleuat, quàm faciat Ariſtoteles.

*De principiis proximis corporei Mundi.*

CAP. VII.

SI à primis ordiri volumus, & Mundi principia cupimus cognoſcere, primò nobis occurrit vnum, quod abſolutè principium eſt: mox ſequuntur in omnibus recedentibus à primo, tria communia principia; infinitũ, terminus, vnio: ſuccedunt tertiò quinq; rerum genera, ſiue communes eſſendi cauſſæ; eſſentia ſcilicet, identitas, alteritas, motus, & ſtatus; quę principia, & genera, modo quodam intelligibili reperiuntur in mundo intelligibili, modo rationali inſunt in mundo rationali; demum modo corporeo inueniuntur in mundo corporeo. Vt in ſupernis ſupra corpus collocatis, ex principiis dominatur terminus, & vnio; ex generibus, eſſentia, ſtatus, & identitas: ita in corporibus dominatur infinitum, motus, & alteritas. At de principiis loquens, quoniam priora ſunt, aſſero cum Platone in Philebo, principij nomen propriè denotare cauſſam efficientem: quod etiam latenter indicauit Ariſt. in 3. de anima cont. 19. in qua ſignificatione abſolutè vnum eſt primum principium; Latè tamen principij nomen ad alia quoque extenditur.

In

In qua latiore ſignificatione dicẽdum eſt, tria eſſe principia corporum, terminum ſcilicet, infinitum, commiſcens; ſiue menſurá, incommenſuratum, terminans, & magis Peripateticè loquendo, formam, materiam, efficiens: ex qibus conſurgit genitum, ſiue terminatum, ſiue vnum: quauis voce vtaris, nil refert: nam idem ſignificatur. Efficiens proximum, & ſeminarium, quod eſt mouens ab alio motum, eſt natura: quæ ab anima recipit ſemina rerum, & ea duce, ad frugem illa perducit; qualitatibus, vt inſtrumentis, materiæque diſpoſitionibus vtens. Terminus, & menſura, ſiue forma, eſt imitatio ideæ, ſiue eius vmbra; quæ propriè principium non eſt, ſed principij imitatio; nã idea rectiùs principium nuncupatur. Vltra efficientẽ cauſſam, & ideam, ſiue eius imitationem, ſequitur genus tertium, vt cum Platone in Timæo loquar; ſcilicet materia, quæ locus eſt imitationis idearum; ex quo vnà cum termino, compoſitum, tanquam Proles conſurgit: Quæ materia Magnum, & Paruum nuncupatur. Sic Ariſt. in 1. Phyſic. tribuit Platoni, quòd pro principiis poſuerit, magnum, paruum, & vnum; per magnum, & paruum, denotans materiam: per vnum verò ideam, ſiue eius imitationem; vt ex Philebo, & præſertim ex Timæo colligitur. Hæc de principiis eſt Platonis ſententia. At conferamus eam cum opinione Ariſt. & perpendamus, an re vera diſſentiant. Ariſt. in 1. Phyſ. dimiſſo efficiente, &

ſolùm loquens de principiis internis, tria ſtatuit generationis principia; materiam, formã, & priuationẽ. Ratio, cur tria poſuerit, eſt; quoniam de principiis loquitur generabilium, in ordine ad generationem: generatio eſt tranſmutatio quædam: de ratione tranſmutationis eſt, vt tria includat, ſubiectum, & duos terminos; vnum, à quo recedit; alterum, ad quem progreditur: hinc tria conſurgunt principia, materia, forma, & priuatio; materia eſt ſubiectum; forma, & priuatio ſunt termini: & quoniam termini tranſmutationis debent eſſe oppoſiti, ideo principia rerum ab Ariſtotele ſtatuuntur oppoſita. Ariſtoteles itaque pro internis principiis ſtatuit materiam, formam, & priuationem; quæ verè tria ſunt: Plato ponit magnum, paruum, & vnum; quæ non tria, ſed duo principia ſunt; nam magnum, & paruum, materiam ſolam circunſcribunt. Inſuper, Ariſtot. cõtrarietatem accipit loco principiorum ad formam pertinentium: Plato accipit contrarietatem locó materię. Demum Ariſtoteles priuationem numerat inter principia: Plato eam prætermittit, & negligit. Iure itaque videntur diſſentire, & iure videtur de his omnibus Plato ab Ariſtotele carpi. Quid itaque dicendum eſt? Aſſero breuibus, Platonem, & Ariſtotelem de his re vera nõ diſſentire. Nam vel loquimur de principiis rem genitá intrinſecùs cõſtituentibus; & ſic, ex opinione vtriuſque duo ſola ſunt, materia, & forma; vt ex Ariſtote-

ſtotele patet in primo Phyſicorum, vbi ait, priuationem non remanere in genito; & ex Platone idipſum patet in Timæo, & Philebo; & in hac conſideratione principia non ſunt contraria: vel loquimur de principiis in ordine ad generationem, conſiderando terminos generationis; in qua conſideratione principia, hoc eſt, termini generationis, ex opinione vtriuſque ſunt contraria; vt patet ex Ariſt. in 1. Phyſ. & ex Platone cumulatiſsimè in Phædone: vbi latiſsimè oſtendit, omne, quod fit, fieri ex contrario, tanquam ex termino; & ea omnia de contrarietate principiorum ibi declarat, quæ mox ab Ariſtotele in primo Phyſic. explicantur: adeò, vt de re hac nedum maximè conueniant; verùm inſuper Ariſt. multa ex Phædone Platonis ad contrarietatem principiorum pertinentia, deſumpſiſſe videatur. Et ad inſtãtias: Ad primã, dum dicitur, Plato ponit duo interna principia, Ariſt. tria; reſpondeo: Plato ponit & duo, & tria, quemadmodũ Ariſt. duo in ordine ad rem genitã, tria in ordine ad generationem, vt ex Phædone latiſsimè patet. Ad ſecundam, quia Plato contrarietatem ponit loco materiæ, Ariſt. loco formæ; dico manifeſtè erraſſe Ariſtotelẽ, dum in 1. Phyſ. cont. 55. loquens de contrarietate, quæ pertinet ad terminos generationis, tribuit Platoni, quòd eam ſtatuerit loco materiæ. Nam verè Plato materiam deſignauit terminis includentibus oppoſitionem, vt in progreſſu apparebit; ſed

tunc non loquebatur de contrarietate terminorum generationis, de qua loquebatur Ariſt. nam de huiuſmodi contrarietate loquitur in Phædone: & eam non ponit pro materia, ſed pro terminis generationis: ideo culpandus iure videtur Ariſtot. qui contrarietatem terminorum generationis ſumpſit ex Phædone Platonis; mox Platonem, quaſi ſecùs ſentientem, carpit, & reprehendit. Ad tertium, quia Plato deſpicit priuationem; reſpondeo, quomodo ſe habeat priuatio ad materiam, in ſequẽtibus apparebit: Priuatio proculdubio inter principia intrinſecùs rem conſtituentia numerari non debet; ideo in Philebo, & in Timæo Plato eam neglexit: Quòd ea ſit terminus, à quo, generationis, in Phædone manifeſtauit; vbi terminos generationis ſtatuit cõtrarios. Quare colligo, de numero principiorum internorum litem ſolùm eſſe in verbis.

## *De Materia & Priuatione.*

## CAP. VIII.

IAm doctè & accuratè Plato in Timæo naturam, & conditionem materiæ explicauit, vt animus rectè diſpoſitus nil vltrà valeat expetere. Accommodatiſsimè enim aſſeruit; eam eſſe locum, qui nunquam interit; ſed omnibus, quæ fiunt, ſedem exhibet: eſſe ſinum omni diſpoſitione, & forma denudatum; vt omnes recipere valeat. Et quoniam omnino eſt poteſtate,

ſolùm

ſolùm reſpicit aliud; & eius natura infinita penitus eſt, ſolùm maximè nata terminari ab alio: ideo, vt eius interminata, infinitaque natura manifeſtaretur; vocibus infinitatem præſeferentibus eſt circumſcripta: & nuncupata eſt magnum, & paruum; hoc eſt, indefinitũ quoddam, natum cùm anguſtis, tum latis terminis circumſcribi. Iure etiam duabus vocibus, hoc eſt, binario, deſignata eſt; vt Pythagorę ſententia explicaretur, qui numerum parem, numerumque binarium conuenire materiæ exiſtimauit; & iure quidem: nam, vt binarium eſt initium multitudinis, & diuiſionis (ſtatim enim cùm ab vnitate recedimus, in binarium labimur) ita materia cum quantitate, multitudinis, & diuiſionis eſt origo. Inſuper, vt numeri impares vnà iuncti, eandem ſemper conſtituunt numeri figuram, quadratam ſcilicet; numeri verò pares, ſemper diuerſam: ita materia, quaſi numerus par, diſtinctionis, & multitudinis eſt mater. Demum magnum, & paruum, optimè circumſcribunt, nedum naturã; ſed etiam interminatas dimenſiones, quę materiam ſemper comitãtur. Prætereà, quoniam vniuerſa latitudo eius, quod eſt, conſideratur in formis, vel vmbris earum; & quoniam materia eſt infra hanc latitudinem, & ſolùm vmbrarum eſt capax; ideò iurè verè non ens, infra ens, & exemplar diuinitatis expers, nuncupatur. At non propterea eſt nihil; adeò, vt, quę ex materia fiunt, abſolutè ex nihilo fieri; & ex

nihilo, tanquam ex parte cõſtare dicantur: eſt enim non ens, quia eſt infra latitudinem formæ; attamẽ eſt locus, & vehiculum vmbrarũ. Perpendamus, an iure Plato ab Ariſtot. reprehendatur, vt pertinet ad conditionem materiæ: nam in quinque ab Ariſtot. carpi videtur. Primò carpitur in 4. Phyſ. quia materiam exiſtimauerit eſſe locum: ſecundò carpitur in primo Phyſ. quòd materiam dixerit eſſe non ens: tertiò, quòd eãdem ſtatuerit cum priuatione: quartò, quòd eã aſſeruerit eſſe contrarietatẽ: poſtremò, quia Ariſt. aſſerit materiam malam, & fœminam ex euentu, & ratione priuationis; Plato verò per ſe, cùm materiam à priuatione non ſeiunxerit. At facile eſt ab huiuſmodi calumniis vindicare Platonem. Ad primum dico, materiam eſſe locum, non corporum, neq; rationum, ſiue idearum; ſed formarum, ſiue participationis earum; nam multiplex eſt locus: Materia eſt locus metaphoricè, vt ab eodem Ariſt. in 3. de anima cont. 6. intellectus dicitur locus formarum intelligibilium. Ad ſecundam obiectionem patet ſolutio ex dictis; iam enim explicaui, quomodo materia à Platone non ens nuncupetur. Ad tertium, dum ei obiicit Ariſt. quia priuationem à materia nõ ſeiunxerit; Plotinus pugnans pro Platone aſſerit, re vera materiam à priuatione nõ ſeiungi: non enim ſeiungitur ſubiecto, vt idem Ariſtot. fatetur; non ratione, quia non diſtincta vtriuſque eſt ratio; ſed vnum per alterum defini-

finitur. At ſi rem accuratè perpendimus, nec Ariſt. rectè carpit Platonem, nec Plotinus rectè eum defendit. Primò Ariſt. non rectè carpit; quoniam Plato materiam, & priuationem, non rem eandem exiſtimauit; ſed in Phædone manifeſtâs, omne, quod fit, ex contrario fieri, rectè indicauit priuationem eſſe terminum à quo, non autem ſubiectum generationis. Inſuper in Timæo, cùm dixerit, materiam eſſe locum, qui nunquam interit, & eſſe denudatam omni forma; rectè manifeſtauit materiã à priuatione diſtingui: nam priuatio interit in aduentu formæ; & non dicitur denudata, & priuata, nouit itaque Plato, materiam eſſe quid diſtinctum à priuatione. Quod manifeſtiſsimè colligo ex dialogo, qui Lyſis, ſiue de amicitia inſcribitur: vbi manifeſtans, quæ requiruntur ad appetitionem, oſtendit ea eſſe tria; ſcilicet appetibile, vt bonum; appetens; & oppoſitum appetibilis: & manifeſtat, non oppoſitum appetere ſuum oppoſitum: ſed ſubiectum, quod neutrum eſt, occaſione vnius oppoſiti in eo exiſtentis, appetere alterum. Ex quo patet, Platonem ſeiunxiſſe priuationem oppoſitam formæ à materia; & materiæ aſsignaſſe non quale, ſiue negationem. Plotinus, qui pro Platone diſputans, nititur oſtendere materiam à priuatione nõ diſtingui ratione, etiam minùs rectè ſentire videtur: quamuis enim in definitione vnius alterum accipiatur, non propterea definitione ſunt

idem, cùm vtriuſque aſsignetur diuerſa definitio. Priuatio enim eſt abſentia formæ in materia, cum facultate ad eam recipiendam; materia verò eſt ſubiectum non habens formam, & natum eam recipere. Errauit Plotinus, quia nō diſtinxit negationem à priuatione; nec rectè nouit, quæ ſit ea priuatio, quæ ab Ariſt. inter principia ponitur. Ideò cùm Plato dixerit in Lyſide, non quale appetere quale; & in Timæo aſſeruerit, materiam ſine ſenſu tangentis tangi; hoc eſt, per negationem cognoſci, & de ea negationes eſſe veras; Plotinus loco priuationis conſideratæ ab Ariſt. negationem, & nō quale conſiderauit; quæ negatio, non eſt quidem eſſentia materiæ, ſed de ea verè dicitur: verè enim materia nō eſt ex ſui natura homo, non eſt cœlum, non formata; at non propterea eſt ipſa negatio; ſed eſt id, de quo negatio verè dicitur: non autem priuatio ita ſe habet; priuatio enim non verè dicitur de natura materiæ: nam materia non eſt ex ſui natura alba, non autem ex ſui natura eſt priuata albedine; quoniam ſi ex ſui natura eſſet priuata albedine, non poſſet eius natura cum albedine conſeruari. Seiunxit itaque Plato materiam à priuatione; ſolùm dixit, de materia, ex ſui natura, veram eſſe negationem; vt etiam Themiſtius, & Alexander ex ſententia Ariſt. rectè explicatunt. Ad quartam obiectionē, quia Plato ſumpſit contrarietatem pro ſubiecto: Reſpondeo, eum non ſumpſiſſe pro ſubiecto contrarietatē termi-

terminorum, de qua loquebatur tunc Ariſtot. ſed ſolùm ſubiectum deſignaſſe per voces indicantes naturam, & conditionem quandam infinitam, & interminatam. Ad poſtremam inſtantiam, quia Plato materiam dixit per ſe malam, & expetere contrarium, patet ſolutio: nam Plato materiam à priuatione ſeiunxit; ideò non aſſeruit eam eſſe per ſe malam, quia ſit priuatio: ſed ſolùm eſſe per ſe malam cum negatione; quoniam de eius natura, vera eſt negatio. Immò Plato in Lyſide cumulatiſsimè id declarauit, quod mox Ariſtot. in primo Phyſicor. 81. breuiſsimè ex propria ſententia profert: declarauit nanque Plato, non malum appetere bonum; ſed id, quòd neutrum eſt, ob mali ſenſum, appetere bonum, tanquam medelam. Sed de hoc infrà latiùs agam; dum conſiderabo, an materia ſit bona, vel mala.

## *Quomodo Materia cognoſcatur.*

## Cap. IX.

Q Voniam Materia, Diuinitatis eſt expers, propria ideâ eſt deſtituta; & ſolùm aliud eſt, ſiue infinitudo, alteritas, & locus capax imaginis idearum: propterea per ſe intelligi nata non eſt: ſed quemadmodum cæteros actus, ita actum cognitionis aliunde recipit. Cognoſcitur primò materia per negationem; & iure quidem, cùm de ea veræ ſint negationes, vt patuit. Hûc cognitionis modum manifeſtauit Plato in Ti-

mæo inquiens, materiam ſine tangentis ſenſu tangi: nam ad eam conuerſa animi acies, perinde ſe habet, ac oculus corporis ad tenebras. In hoc cognitionis genere cõuenit materia cũ Deo; nam Deus quoque negatione cognoſcitur: & iure conueniunt, quia ambo extrema ſunt. At differunt; quia negatio in Deo oritur ex perfectione, & eandem manifeſtat: de Deo enim agentes, negationi ſuperaddimus, quòd ſit quid eminentius; Deus non eſt cœlum, ſed cœlo eminentior: non anima, non mens; ſed aliquid ſupra mentem, & animam: Materiam explicantes, econtra negationi addimus quid infra: nam Materia non eſt anima, ſed infra animam; non eſt natura, ſed infra naturam; & ita de ſingulis. Sic etiam Ariſt. in 10. Metaph. vnà cum Platone dixit, materiam negatione cognoſci. Dum materia per negationem explicatur, non eſt putandum, eam eſſe puram negationem; eſt enim pura negatio graduum formarum, non autem pura negatio abſolutè; alioquin nil prorſus eſſet: ideò putandum eſt, eam in negatione cum quadam affirmatione eſſe poſitam: quam ſubindicamus, dum addimus, ſed aliquid infra. Et propterea non ita ſe habet anima, dum materiam conſiderat, vt dũ nihil intelligit: dum enim nihil intelligit, aſſerit id nihil eſſe: nõ ſic de materia dicit. Propterea Scotus, dum materiæ tribuit actum illum, quem entitatiuum appellat; rectè ſentit, & cum Ariſtotele, & cum Platone: at minùs

rectè loquitur. Non enim apud Ariſt.propriè dicitur actus; nec apud Platonem, aut actus, aut entitatiuus:ſed cùm de materia aliquid affirmare debeamus, ne videatur penitus nihil, ad eam affirmationem cōuenienter ducimur per analogiam: quam rectè, & conuenientiſſimè formamus,reſpiciendo ad tranſmutationes,& formas,quibus ea ſubiicitur. Cognitionem materię per analogiam, manifeſtauit Plato in Timæo inquiens, eam adulterina ratione vix opinione percipi poſſe. Cognitio per analogiam,poſita eſt in conuenientia pluriūm rationum: nō enim cognoſcere materiam per analogiam,eſt cognoſcere materiam per reſpectum ad formam, vt multi cenſent: qui enim hoc dicunt, verè indicant ſe ignorare, quid ſit analogia, & quali methodo cognoſcatur materia. Explicatur autē materia per analogiam vario modo: veluti,dum à Platone nuncupatur locus,nuncupatur ſinus informis, ſpecies inuiſibilis, binarius, Sylua, Mater mundi,nutrix formarū, & ſimilibus vocibus; quæ cùm per metaphoram tribuantur materiæ,ad analogiam rediguntur:metaphora enim eſt quædam analogia,vt dixit Ariſt.in Rhetoricis. Ex quo patet, licere etiam in ſcientiis nonnunquam, ratione difficultatis rei, vti metaphoris. Præſertim tamen materia per analogiam explicatur; dum ſimilitudo, & conuenientia rationis,ſumitur ex materia rei artificioſæ:ideo dicimus; vt lignum ſe habet ad lectum, &

materia rei artificioſæ, ad rem artificioſam; ita materia rerum naturalium, ſe habet ad ea, quę natura conſtant. Sic itaque per negationem, & analogiam ducimur in materiæ cognitionem: analogia eſt nobis familiarior, negatio verior: analogia remotiùs, negatio intimiùs nos ducit ad eam; quatenus poſt analogiam etiam dicimus materiam, nec locum, nec matrem, nec nutricem abſolutè eſſe; ſed ſolùm ei ſimilem. Ex vtriſque itaque modis conſurgit integra noſtra cognitio materiæ, quę cognitio eſt omnium infima: nec vnquam rectè dicemus, materiam per ſe à nobis cognoſci; cùm materia careat idea, ratione, & notione, quæ intellectum formare valeat.

*An Materia ſit genita, & Mundi generationem antècedat.*

## Cap. X.

Manichæi Materiam primam, non ſecùs ac Deum, exiſtimarunt eſſe initium primum, à nullo pendens: cætera verò omnia à Deo, & à materia pendere: ita tamen, vt bona penderent à Deo, mala verò à materia; inter quæ duo boni & mali principia, perennis vigeret pugna; & in nonnullis vnius, in aliis alterius appareret victoria. Stoici cum Manichæis in hoc conuenerunt, quòd materiam aſſeruerunt eſſe initium primum, ab alio non pendens; quæ ita patiendi eſſet principium, vt Deus agendi, &

mouen

mouendi: diſſenſerunt tamen; quia materiam, non malam, ſed mediam, & indifferenté nuncuparunt. Hi, quatenus conuenerũnt, longè receſſerunt à vero: cùm enim materia bonum appetat, bonum quærat, ad bonum conferat, ad bonum dirigatur; vt ab ipſo bono pendeat, neceſſe eſt: nam quærũt bonum ea ſolùm, quæ pendét à bono. Accedit, quòd ipſum bonum, non abſolutè ei dominaretur, niſi ab eo abſolutè penderet: Cùm itaque bonum abſolutè debeat dominari materiæ; eſt neceſſe, vt materia ab eo pendeat, & ſub eius facultate poſita ſit. Ac demum, vt vniuerſum optimè ſeſe habeat, vnicus eſſe debet Princeps eius: vt Princeps verè ſit vnus, eſt neceſſe, vt cætera omnia ab eo pendeant: Pendet itaque materia ab ipſo vno, ab ipſoque bono; cum quo inſolubili nexu iungitur; & admirabili catena imaginum, ſeminum, rationum, idearumque ligatur. Pendet ab ipſo bono, tãquam ab efficiente per emanationẽ materia, quo ad eſſe ſuum; nam ab eo pendet, & formator omnium, & formabile: at quo ad actum, proximè pendet à participatione idearum. Materia antecedit corporeum mundum, non tempore, ſed origine; nam emanauit materia vnà cum forma: quæ emanatio, quo ad eſſe materiæ, terminatur primò ad materiam; quò verò ad actum, terminatur primò ad formam, ſiue imaginem formæ: Primum, ſine medio manat à Deo: alterum verò, mediante idea; cuius forma exi-

ſtens in materia, eſt participatio. Inquit Plato, quòd materia, ante ordinem, & generationem mundi, fluctuabat, & inordinatè mouebatur: quæ ſententia eſt vera, cùm de materia prima, tum de materia proxima mundi; immò Plato eam profert de materia proxima, quæ ſub ſenſum cadit: qui inordinatus, & fluctuans motus, negationem & priuationem potiùs denotat, quàm motum verè contrarium ordinato. Et id à Platone dicitur; vt manifeſtetur, quid conueniat materiæ ratione propria, vt materia eſt; & quid ei conueniat munere opificis, & formæ: Materia enim, & ſenſibilia corpora, ſeorſum ab anima mundi, confusè, & ſine ordine mouentur; hoc eſt, penitus carent ordine, decore, & perfectione. In eadem quoque conſideratione valemus concedere Chaum ante mundi compoſitionem: quatenus materia primò, mox reliqua corpora, ad quæ priùs origine terminatur generatio, quàm ad formam mundi; ſunt ex ſe confuſio, inordinatio, terminorum priuatio: quæ mox per mentem componuntur, terminantur, rediguntur in ordinem. Ideo iure de Chai inordinatione cecinit Ouidius:

*Hanc Deus, & melior litem natura diremit.*

Melior autem illa natura, per quam Chaus in ordinem fuit redactus, Mens Diuina fuit. Colligens itaque dico, materiam ab ipſo Bono manaſſe, & recepiſſe id eſſe, quod ei conuenit; à Mente recepiſſe ordinem; ab Anima motum; à Na-

à Natura proximè formari; demum per imitationẽ ideæ, intrinſecùs perfici, & terminari.

*Conditiones nonnullæ materiæ.*

CAP. XI.

QVoniam Diuina Mens, rerum omnium formis eſt decorata, apprimè eſt fœcunda; ſummopere eſt nata efficere, ſuęque perfectionis vmbras aliis impartiri; quod fieri non poterat ſine communi aliquo ſubiecto, quod effectioni ſubiiceretur, vmbrasque idearum reciperet: propterea neceſſaria fuit materia. Et quoniam id, quod pro receptione optimè eſt paratum, debet nil recipiẽdorum in ſui natura includere; iure materia omnino nuda, omnino egena eſſe debuit; vt ſplendidiſsimè poſſet indui, nulla ratione formanti reſiſteret, & ex ſumma eius indigentia, mira opulentia cõſurgeret. Nuda itaque penitus formis eſt conditio materiæ; & propterea dicitur exemplar diuinitatis expers. Inſuper, quod omnino, & maximè debet pati, & perpeſsionis aliorum futurum eſt initium; omni efficiendi facultate debet eſſe deſtitutum: materia, huiuſmodi eſſe debuit: iure itaque, vt primum efficiens nulla ratione patitur, ita primum hoc ſubiectum nil valet efficere: & iure Diana ſterilis nuncupatur, ex cuius ſterilitate eximia fœcunditas conſurgit. Prætereà, quod omnibus figuris circumſcribi, omnesque terminos ſuſci-

pere debet; vt cunctis careat, neceſſe eſt: iure itaque materia, magnum, & paruum; ac inſuper infinita, vel potiùs infinitudo nuncupatur. Neque propterea cum Stoicis, & plurimis ex antiquis putandum eſt, materiam eſſe corpus; nam ſi corpus eſſet, iam formam haberet, nec eſſet nata recipere omnes: habet tamen materia dimenſiones ſibi coæternas, termino deſtitutas; ratione quarum nuncupatur magnum, & paruum: adeò, vt primò conſideretur natura materiæ; mox participatio dimenſionum, & quantitatis. Dum cogitamus, magnitudinem aduenire materiæ; non eſt putandum, vt per eam tunc materia, quaſi ex anguſto, ac indiuiduo loco, in latum extendatur; nullìbi enim ita contracta conſiderari poteſt materia: ſed ſolùm eſt dicendum, quòd cùm priùs quātitate careat, mox eam habet. Imaginamur tamen nonnuuquam materiam, quaſi dimenſionem quandam inanem; & proptereà nonnunquam, cùm ab Ariſt. tum à Platone, vacui nomine deſignatur. Iure primum omnium quod in materia recipitur, moles eſt: nam per molem redditur diuidua: & cùm diuidatur, valet ſimul per varias partes, omnes formas recipere, & cuncta fieri; quæ fieri non potuiſſet, ſi indiuidua permanſiſſet. Partes itaque materiæ, inſequuntur quantitatem; non autem quantitatem antecedunt, vt minùs rectè nōnulli ex Latinis exiſtimarūt; qui partes ſubſtantiæ, quantitatem antecedentes excogita-

gita-

gitarunt.Inſuper,cùm materia per molem partes habeat; quæuis eius pars, quę mortales recipit vmbras, cùm ſimul non valeat fieri omnia,temporis ſucceſsione omnia fit:Dico,quæ mortales recipit vmbras,vt portionem præcipuam eius excludam,cœli forma honeſtatam; in qua ſimul facultate, puritate, & eminentia quadam,omnia continentur. Sic itaque materia, virtute ſuæ naturæ, fit omnia: virtute quantitatis,recipit modo diuiſibili. Demum, cùm materia per interminatam molem nuncupetur infinita; non eſt putandum, vt ita ſit infinita, vt ſuperet omnes terminos: ſed è cõtra infinita dicitur;quia infra omnes terminos collocata,nullum ex illis habet, & cunctos recipere valet; adeò, vt ratione oppoſita Deus, & materia nuncupentur infinita. Deus eſt infinitus,exuperans terminos omnes; materia è contra infra omnes collocatur: propterea, vt materiæ conuenit terminari; ita Deo maximè repugnat.De huiuſmodi materiæ conditionibus,nulla profectò inter Ariſt. & Platonem lis eſt, ſed ſummopere in ſententia conueniunt vt etiam conueniunt de attinẽtibus ad potentiam materiæ: de qua cùm plurima dicantur ab expoſitoribus Ariſtotelis, nil vltrà eſſe dicendum cenſui, ne in re morarer infinities acta.

*An Materia bona, vel mala cenſeri debeat.*

CAP. XII.

CEnſuit Pythagoras ex Numenij relatione, materiam eſſe malã; & propterea ita eſſe initium malorum, vt Deus bonorum: id ipſum Manichæi poſtea exiſtimarũt: aſſeruêre Stoici materiam eſſe neutram, & indifferentem: Ariſtoteles dixit eam eſſe per ſe bonam, ex euentu malam: vt per ſe eſt ens, ex euentu non ens: Plato, non bonam, non malam; ſed neceſſariam, & ordinatam in bonum, eſſe cenſuit. Sic itaque variè de re hac videntur eſſe opiniones: quæ tamen intimiùs conſideratæ, reſpiciendo ad diuerſa, omnes conciliari modo aliquo poſſunt. Nam mala, & noxia eſt materia cũ Pythagora, prauitate nõ pro forma ſumpta, ſed pro negatione vniuerſi formoſi boni: inſuper eſt mala, ratione priuationis ei iunctæ: prauitate non formali, ſed in priuatione formarum poſita: præterea eſt mala, ſumendo prauitatem pro origine impotentiæ, & deprauationum rerum: nã inquit Plato in lib. de Regno, à primo conditore ordinem, & ornamenta omnia pendere; à deformitate verò materiæ, omnia incommoda. Inſuper, materia cum Stoicis indifferens eſt; quia omni caret forma, & oppoſitarum æquè eſt capax. Tertiò materia cum Ariſtotele bona eſt per ſe, intelligẽdo bonum pro gradu ſuæ eſſentiæ quod bonum conuertitur cum ente latè ſumpto; ſic erit mala ſolùm ex euentu,

euentu, hoc eſt, ratione priuationis ei iunctæ. Demum cum Platone, immò cum eodem Ariſtot. materia nec bona, nec mala eſt; intelligendo nomine boni id, quod tale eſt per formam; ſed eſt neceſſaria, ordinata in bonum, bonumque appetens. Ac vt exactiùs rem explicemus, & ſententiam ſimul Platonicam, & Peripateticam aperiamus; dicamus materiam poſſe in multiplici gradu conſiderari: primò enim eam conſideramus, quo ad attinentia ad eius eſſentiam: ſecundò, eam referimus ad formas, quibus caret, & recipere valet: tertiò eandem referimus ad formas, quas iam habet. Materia in prima illa notione eſt bona, quatenus eſt; accipiendo bonum, vt conuertitur cum eo, quod modo aliquo eſt. Inſuper eſt mala, per negationem formæ: Demum eſt neutra, quia nullam habet formam, nec diſpoſitionē. In ſecunda notione materia ex ſe neutra eſt; ratione potentiæ, eſt bona poteſtate; ratione priuationis, eſt mala per priuationem. In tertia notione, cùm iam ſit adepta formam, iam eſt adepta bonum; quamuis ipſa, bonum non ſit: materia enim bonum, & formas recipiens, non fit bonum, ſed bono potitur; non fit forma, ſed ea ornatur; cùm omnia, quæ recipit, ſint aliena à ſua natura, non ei oppoſita: non eam conſtituentia, ſed eam ornantia: adeò, vt colligere valeamus, materiam fieri omnia, nūquam tamen à ſe recedere. Poſtremò, quia materia fit omnia, non verè, ſed adumbratè; ac in

ea, quaſi in antro recipiuntur, non formæ, ſed formarum imagines: iure ea quoque inter recipientia infima eſt, proportione reſpondens vmbris, quas recipit; à quibus nos in terræ antro collocati deludimur, cùm ea verè eſſe putemus; nec vnquam nos decipi animaduertimus, quouſque anima in corpore ſopita, non expergiſcitur; & caput ſuum vnà cum mente ſupra cœlum attollens, aciem ad verè entia nō conuerterit: in qua conuerſione nos cætera negligentes, exclamamus; Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

*Quomodo Numeri, & Figuræ ſint initia rerum.*

## CAP. XIII.

Pythagoras, quem, vt Deum, excoluêre multi, & Plato ſummopere eſt imitatus; ex numeris res conſtare, ac numeros eſſe eſſentias rerum exiſtimauit: id ipſum frequenter quoque de Geometricis figuris, ac ſuperficiebus affirmauit: Propterea etiam Plato, ſæpe ex numeris, frequenter ex Geometricis figuris; res componi aſſeruit. Dicebat Pythagoras, Par, & Impar, Quadratum, & altera parte Lōgius, cum aliis ab eo enumeratis contrarietatibus, eſſe principia rerum. Præſertim tamen id munus tribuebat numeris; quoniam numeri magis ſeruant conditionem principij, quàm figuræ; cū numeri

numeri ſint priores Geometricis magnitudinibus, & figuris; immò cùm figurę Geometricæ in numeros, vt in principia reſoluantur. Pręterea,quia numeri ſunt priores, & à materia magis ſeiuncti; conuenientiùs animæ, & menti reſpondent, quàm Geometricę figurę: è contra figuræ Geometricæ, quoniam magis ſeruant conditiones materiæ, aptiùs reſpondent materiatis rebus: ideò rectiùs abiuncta, per numeros, corporata, per Geometricas figuras explicantur. In Mente non Geometricę conſiderantur figuræ,præterquam in eminentia numerorum; ſolùm ibi vigent originales numeri: in Natura præſetim figurę inueniuntur: in Anima media,& numeri,& figuræ conſiderantur; numeri tamen dominantur. Hæc cùm dicantur à Pythagora,approbentur à Platone, damnentur ab Ariſtotele; pro veritatis notitia, & Peripateticarum inſtantiarum repulſione,conſiderandum eſt: Pythagoram, & Platonem, non adeò fuiſſe mentis inopes; vt putarint, re vera ex Geometricis figuris, Arithmeticiſve numeris res naturales conſtare: quemadmodum iis ſæpe obiicit Ariſt. manifeſtiſsimè enim Plato Mathematicas diſciplinas in accidentibus verſari, neque præcipua rerũ initia cognoſcere, in ſexto de R. P. & in 7. nec non alibi affirmauit. Lucidiſsimè etiam Pythagoras diſtinctionem numerorũ, in numerantes, & numeratos cognouit: & propterea, dum figuras, & numeros eſſe initia rerum di-

xerunt; id in triplici ſignificatione poteſt cenſeri verum. Primò, intelligendo nomine numeri,& figurarum, non numerum Arithmeticum ab anima conſtitutum, vel externam figuram; ſed numerum ſubſtantialem, ac figuram indiuiduam,& exactiſsimam; quę in ideis vigēt, priores ſunt anima, & reliquorum ſunt initia; de quibus cumulatiſsimè in libro de Ideis verba fecimus. Secundò, eadem ſententia vera eſt analogicè, ratione conuenientiæ in proprietatibus,& conditionibus. Et hoc lucidiſsimè ex eo colligimus; quia cùm Plato vniuerſo Orbi,& ſimplicibus corporibus putauerit conuenire figurá orbiculatam; & propterea moueri in orbem, in Timæo aſſeruerit: Attamen reſpiciens mox ad proprietates, aſſerebat; Vniuerſo, conuenire figuram duodecim facierum; Igni, pyramidem; Terræ, figuram cubam; & ſic de cæteris: in qua ſignificatione dixit Ariſt. in 8. Metaph. cont. 10. definitiones, & eſſentias rerum, perinde ac numeros ſe habere. Tertiò, vera eſt eadē ſententia, reſpiciendo ad numerum; non quidem Arithmeticum, & numerantem; ſed numeratum externarum rerum: in qua ſignificatione dixit Ariſt. in primo Cœli, & in ſecundo de Partibus animaliū, Naturam multa perficere numero ternario; quatenus perfectio rerum proximè in tribus eſt poſita, in principio, medio, & fine. Hæ tres explicationes, quamuis primo aſpectu videantur diuerſæ; attamen interiùs conſideratæ, ita

ſe

ſe habent, vt vna ex altera pendeat: ex numeris enim idealibus ortum ducunt, tanquam imitationes, & vmbræ, numeri rerum numerati, ac numerorum proprietates; quas nos deinde per numeros numerantes, vt nobis notiores explicamus: Quibus explicandi modis iure merito viri hi ſapientiſsimi vtebantur, Pythagoras, & Plato. Illi enim primò accuratam rebus mathematicis nauabant operam: nam optimè cognoſcebant, ingenia per huiuſmodi diſciplinas conuenienter parari ad inquirendum in ſcientiis illud exactum, & exquiſitum, quod eis conuenire poteſt; ad percipiendam vim demonſtrationis; ad gradus abſtractionum à materia, ſine quibus nemo exactè philoſophari valet. Propterea præcipiebat Plato, ne quis mathematicarum ignarus, in Academiam ingrederetur. Mathematicis itaque diſciplinis Pythagoras, & Plato imbuti; cuncta veluti per res ſibi domeſticas, & familiares; & veluti per res, quæ cunctis rebus conuenienter aptari poſſent, per mathematica explicabant. Et id etiam propterea libenter efficiebant; vt diſciplinas, quas diuinum munus eſſe cognoſcebant, ſeorſum à vulgi contagione ſolutas, surioresque conſeruarent; & ſolis puris, ſolutiſque animis eas patefacerent. Et iure etiam vtimur numero, pro denotanda rerum perfectione: nam ex numero numerato cónſurgit conueniens ordo, ratio, proportio, & conſonantia rerum. Ex hactenus explicatis

patet primò, numeris vario modo conuenire virtutes: patet ſecundò, numeros, & figuras eſſe, & non eſſe principia rerum; demum conſtat, litem Ariſtotelis cum Platone, & Pythagora, his de rebus, eſſe in verbis, non in ſententia.

*FINIS LIBRI SEPTIMI.*

STE-

# STEPHANI THEVPOLI, BENEDICTI F. PATRITII VENETI,

## *ACADEMICARVM Contemplationum,*

## LIBER VIII.

### De Physicis corporibvs ſingillatim conſideratis.

*De primis corporibus.* Cap. I.

QVONIAM iam ea ſunt explicata, quæ vniuersè ad mundi corporei declarationem pertinebant; ac inſuper nota ſunt ſimplicia principia mundum, & partes eius conſtituentia: reliquum eſt, vt de cunctis corporum gradibus verba faciam; & ſigillatim conditiones, & naturam eorum conſiderem; â primis, quæ elementa nuncupantur, exordiens. Prima vniuerſum conſtituentia corpora, ex quibus cætera per mixtionem cõficiuntur; partim quatuor, partim quinque, iudicari poſſunt. Quatuor ſunt; quatenus omnia, vel ad aerem, vel ad ignem, vel ad aquam, vel ad

terrã rediguntur. Inſuper, ſunt quinque; quatenus in aere magnam puritatis, & impuritatis differentiam conſideramus: ob quam Plato in Timęo, & Epinomide, cœlũ dixit ignem; aerem puriorem ſub cœlo collocatum, quem Ariſt. hyppeccauma, ſiue fomitem incẽſionis nuncupauit, dixit ætherem; ſub quo aerem, aquam, & terram collocari cognouit. Rectiùs tamen prima corpora ſtatuẽda ſunt quatuor, quàm quinque; quoniam ea quinque in quatuor demum rediguntur. Dari elementa corporea, adeò conſpicuum eſt, vt ſuperuacaneũ ſit oſtendere. Pariter ea eſſe quatuor, ſenſu, & experientia certiùs cognoſcimus, quàm ratione: attamen, quod primò ſenſu cognoſcimus; mox ratione, cùm phyſica, tum mathematica comprobare valemus. Senſu cognoſcimus elementa eſſe quatuor; quia in ſola quatuor, nõn in plura, reſolui mixta omnia cognoſcimus: ac inſuper nobis ad ordinem eorum in vniuerſo conuerſis, ſola quatuor ſubordinata, & verè diſtincta corpora ſeſe offerunt. Quem numerum ratione phyſica comprobamus: nã mundus eſt ſpecierum, & graduum omnium plenitudo; ideò tot in eo inueniuntur prima corpora, quot modis primæ qualitates ſine pugna complicari poſſunt: id autem ſolis quatuor modis contingit fieri; vt Ariſt. in ſecundo de ortu, & interitu manifeſtauit: propterea quatuor ſunt corpora prima. Præterea, id ipsũ oſtenditur medio ſumpto ã grauitate, & leuitate:

tate: nam rationi eſt conſentaneum, vt detur corpus maximè graue; detur aliud ſũmè leue; ita etiá detur graue in reſpectu & leue in reſpectu. Demũ ratione mathematica numerus elementorũ quaternarius oſtenditur: cùm enim Eleméta ſint corpora conuenienti ꝓportione pro mundi cõſtitutione prædita; in quib. duo extremà conſiderantur, quæ mediis ligari debent: & quoniam media, quæ conuenienti ratione ligant ſolida, neceſſariò duo ſunt, vt mathematici oſtendunt: ideo neceſſe eſt, vt duo dentur elementa intermedia, ex quibus vnà cum extremis quatuor conſurgunt. Media autem, quæ geometrica proportione duo ſolida ligant, debere eſſe duo, manifeſtè patet in numeris: nam primus numerus ſolidus, eſt 8. ſecundus eſt 27. qui duo ſolidi numeri per 12. & 18. geometrica proportione, quæ ſeſquialtera eſt, ligantur; dicimus enim vt 27. ad 18. ita 18. ad 12. & 12. ad octo. Quatuor itaque ſunt prima ſimplicia corpora, arcto nexu colligata; quæ denotantur per quatuor primas corporum proprietates: quæ ſunt; ſolidum, denotás terram; continuum, aquam; perſpicuum, aerem; & viſibile, ignem. Demum conſtat prima corpora debere eſſe quatuor, ex plenitudine numeri quaternarij; in quo totus denarius, qui eſt plenitudo numerorũ, includitur. Propterea Pythagorici plenitudinẽ aliquam deſignaturi, numero quaternario vtebantur: & iure iurando teſtabantur, Naturæ perpetuò

fluentis fontem eſſe quadruplicem. Hinc ortum ducunt quatuor anni tempora, quatuor vniuerſi prima pũcta, quatuor humores, quatuor ſimplicia temperamenta, & ſic de multis. Præterea, quemadmodum mundus ſpiritalis, & incorporeus, ex quatuor conſtat; ex mente non participata, ex mente participata, ex anima, & ex natura: ita mundus corporeus, ex quatuor primis corporibus conſtare debet, proportione eis reſpondentibus; nam ignis, ſupremæ menti: aer, menti participatæ; aqua, animæ; terra, naturæ, proportione reſpondẽt; quorũ omnium caput, & princeps eſt Deus. Hæc prima & inſignia corpora, mundum conſtituentia, elementa nuncupantur: ſed tantum abeſt, vt elementa ſint, vt neque etiam ſint ſyllabæ; quemadmodum eruditè dixit Plato. Verè enim elementum, eſt id, quod eſt primum; vt in 5. Metaph. docuit Ariſtoteles: Hæc nuncupata elementa, multiplicem compoſitionem includunt. Primò enim conſtant ex materia, & participatione formæ. Secundò, in ſingulis ſingula, ſaltem ratione proprietatum, inueniuntur. Hinc aſſerimus in vniuerſo elementa pura non inueniri: neque id eſt contra naturam, ſed maximè conſentaneum naturæ elementorum. Primò; quia puritas eſt affectio rerum à materia ſeiunctarum. Secũdò; quia, vt in rebus incorporeis omnia ſunt in omnibus, ita de corporibus ſe habere debet; corporea enim pro facultate imitantur incorporea,

rea,

rea, à quibus pendent: ac cùm ita ſe habeant; vniuerſum magis ſeruat, nedum in toto, verùm etiam in ſingulis partibus naturam, & conditionem vniuerſi. Tertiò; quia de ratione elementi, vt eſt elementum, hoc eſt, vt in alio inueniatur. Poſtremò; quia elementa viuunt, viuentia ex omnibus elementis conſtare debent, iure itaque in ſingulis elementis inueniuntur omnia; denominantur tamen per id, quod exuperat, & dominatur. Quòd elementa pura non ſint, etiam fatentur Peripatetici; at diſſentiunt: primò, quia negant ea eſſe animata: ſecundò, quia cenſent prima corpora eſſe, non quatuor, ſed quinque; cùm ſtatuant cœlum omnino diſtinctum à natura elementorum. De prima diſſenſione egi, dum verba feci de animis ſphærarum: de altera in ſequenti capite futurus eſt ſermo.

*An Cœlum ſit eſſentia quinta, penitus diſtincta à natura quatuor elementorum.*

## CAP. II.

COelum eſt corpus, omnium opinione, eminentiſsimum, & diuiniſsimum, omniumque conſenſu, ſedes Deorum: quod vt maximè à ſenſibus noſtris diſtat, ita nobilitate excellit, & cum difficultate cognoſcitur. Putarunt primi Philoſophi, eandem cœli, & mortalium eſſe materiam; & ſolùm differre cœlum à mortalibus puritate, & impuritate; ideò dixerunt Ægyptij, cœlum eſſe humorem concretum;

Diogenes, eſſe aerem puriorem; Heraclitus, eſſe ignem; Stoici, ardorem mobilem; Pythagoras, flammã: Plato Pythagoram ſequutus, ſtellas cenſuit eſſe non vrentes ignes; & cœlũ præſertim eſſe ignem, conſtare tamen ex eminentiis omnium elementorum. Iure materia cœli, & mortalium, eadem cenſeri debet; natura enim ſuperuacaneis non abundat: ſi pro mundi conſtitutione vna materia eſt ſatis, nõ duæ ſunt ſtatuendæ. Inſuper, quia vniuerſi opifex vnus eſt; opifici autem, & efficienti reſpondet recipiens, & patiens; cùm vnus ſit opifex, eſt neceſſe, vt etiam recipiens & patiens ei primò reſpondens, vnum ſit. Confirmatur: quoniam, niſi huiuſmodi commune ſubiectũ eſſet vnum; profectò vniuerſum non eſſet maximè vnum, maximeque iunctum, & complicatum. Præterea, cùm mundi anima ſit vna, vnus ſit vniuerſi finis; quomodo ſola materia, cui minùs eſt nata conuenire diſtinctio, adeò eſt diuiſa, vt in vnam communem non redigatur? Statuamus itaque cum Platone, & cum omnibus priſcis ſapientibus; materiam cœli, & mortalium eſſe eandẽ. Ariſtoteles frequenter aſſeruit eam eſſe diuerſam: ſed proculdubio minùs rectè ſentit; ratione enim, & ſenſu eam eſſe eandẽ cognoſcimus; ratione quidem, vt iam patuit: ſenſu verò; quia eadem accidẽtia in cœlo, & mortalibus conſpicimus; vt lucem, perſpicuum, quãtitatem & ſimilia. Simplicius volens Platonem cum Ariſtotele conciliare,

ciliare, quia Ariſtoteles manifeſtiſsimè ſtatuit materiam cœli eſſe diuerſam, dixit etiam ex opinione Platonis diuerſam eſſe. At in re conſpicua manifeſtè lapſus eſt: nullibi Plato eam eſſe diuerſam indicauit; nullibi, niſi vnam, explicauit materiam primam. Lucidiſsimè in Timæo dixit, hanc primam materiam, communemque ſyluam, ignitam, humefactam, cęteriſque qualitatibus affectã: ignem, terram, & reliqua prima corpora cõſtituere: Sic cœlũ dixit ignẽ, & ſtellas animalia ignea nuncupauit. Eſt itaque materia cœli, & mortalium eadem; nec poteſt Plato cum Ariſtotele concicilíari. Quę cùm ita ſe habeant, perpendamus; an cœlum cenſeri debeat eſſentia quinta, diſtincta à natura quatuor elemẽtorum. Architas, & cum eo Ariſt. primi fuerunt, qui cœlum à quatuor elementis penitus ſeiunxerunt; & illud eſſentiam quintam, nil commune vniuocum habentem cum mortalibus affirmarunt; vt rectè Porphyrius retulit. Vtitur Ariſtoteles præſertim fundamento à motu ſumpto; præaccipiens, omnem ſimplicem motum alicui ſimplici corpori conuenire, & vnicuique ſimplici corpori cõuenire ſimplicem motum: ex quo infert, cùm elementa per naturam moueantur motu recto, cœlum verò moueatur in orbem: qui eſt motus diuerſus à recto, nobilior, & præſtantior eo; iure cœlum eſſe corpus à quatuor elementis diſtinctum, eminentius, & præſtantius illis. Idipſum confirmat in

primo Meteororum ex eo: quia, ſi cœlum eſſet vnum ex quatuor elementis, nulla inter cœlũ & reliqúa elementa ſeruaretur ratio; & propterea iam cœlum cætera omnia conſumpſiſſet, & in ſui naturam conuertiſſet. Demum idipſum ex eo confirmat; quia nulla in cœlo, vel cœli partibus conſpicitur permutatio; cùm econtra elementa quatuor omnia, ſint variis permutationibus obnoxia. Aſſeruit itaque Ariſtoteles, cœlum eſſe quintam eſſentiam, omnino diſtinctam à quatuor elementis. At rectiùs Plato cum antiquis ſapientibus, cœlum ſola puritate ab aliis diſtingui exiſtimauit: iam enim oſtẽſum eſt, cœli, & mortalium eandem eſſe materiam, & ſola eſſe quatuor prima corpora; propterea nõ poteſt ſtatui eſſentia quinta penitus diſtincta. Præterea, cùm ſtellæ, vt flammæ, luceant; cùm radij earum, flammam generent; cùm tam manifeſtè mortalia calefaciant; cùm cœlum qualitates elementorum producat; proculdubio & eſſe verè calidum, & includere puritates, & excellentias elementorum putandum eſt. Aſſerere, quòd cœlum ea efficiat per motum, vt aſſerit Ariſtoteles; rationi, & ſenſui eſt aduerſum. Senſui; quia frequenter percipimus, longè vehementiùs, & velociùs moueri corpora prope nos; nec propterea ita calefacere corpora alia, nec ea ita calefieri, vt calefiunt à cœlo. Inſuper ſentimus, ex contactu æſtiuo radiorum Solis, vehemẽter corpora noſtra calefieri: quod minimè cõtinge-

ſingeret, niſi in radio ineſſet caliditas; nec in eo caliditas ineſſet, niſi cœlum actu calidum eſſet. Aduerſatur rationi: quoniam motus, qui eſt actus mobilis à motore pendens, & eſt generatio quædam; ſolùm per ſe ad id perducit, ad quod motor ſuapte natura expetit perducere mobile: propterea motus in loco, per ſe deducit ad loci acquiſitionem: quòd ſi inde ſequatur, vel calefactio, vel qualitatis acquiſitio; id ſolũ eſt ex euentu. At putare, hæc mortalia à cœlo ſolùm ex euentu pendere, & calefieri, alienum eſt à ratione; cùm calor à cœlo diffuſus, omnia ſeruet, cũcta foueat, omnibus vitam impartiatur, omnium generationes abſoluat. Cùm itaque hæc à primis motoribus, & mobilibus per ſe, non ex euentu intendantur, debent etiam per ſe produci: vt autem per ſe producantur, eſt neceſſe cœlum eſſe calidum; vt mox ſuo calore cuncta purget, ſeruet, ac perficiat.

### *Solutio Dubitationum.*

### Cap. III.

Cenſent Peripatetici, rationes Ariſtot. contra Platonem omnino cogere; eſſe oſtenſiones inſolubiles, neceſsitateque præditas; at dum intimiùs perpenduntur, ſatis leues, & facilè ſolubiles inueniuntur. Vt autem id manifeſtè appareat ex operibus conſpicuis caloris; colligamus primò, munꝰ caloris eſſe, aliena ſecernere, purga-

re,& purgata ad ſuperna tollere. Cùm itaque cœlum,ſupernum ſit corpus,cætera purgans, ſeruans, & ſecernens; iure cenſeri debet calidum, omni terrena ſorde purgatum, ignis nitidus, & refulgens: in quo tamen cæterorum elementorum conditiones, & proprietates,ſine impuritate, & in eminētia inueniantur.Sic dicimus cœlum eſſe ignem, ac inſuper ex puritatibus elementorū omnium conſtare. Cœlum eſt ignis, ratione dominantis; & quia in eo cætera ad puritatem ignis ſunt redacta, & eleuata. Inſuper, cœlum conſtat ex omnibus elementis,& in eo omnium elementorum excellentiæ inueniuntur; quatenus in eo inſunt eorum omnium conditiones: nam primò eſt viſibile,& lucidum; quod ignis eſt proprium: eſt leue,& continuum; quod ex aqueo humido pendet: eſt ſolidum; quod pertinet ad terram: eſt perſpicuum; quæ præſertim aeris dicitur eſſe conditio. Non itaque cœlum eſt eſſentia quinta, vt cēſuit Ariſtoteles: Eſt tamen in hac ſignificatione eſſentia quinta: quoniam in eo adeò cuncta ſunt ad puritatem redacta, vt iam diuerſum ab impuritate cæterorum iudicari mereatur. Ad rationes Ariſtotelis,facilis eſt ſolutio. Nam ad eam ex motu ſumptam dico,motum primum, & ſimplicem, vnum eſſe, nempe orbicularem; non duos. Nam motus rectus non eſt ſimplex, cùm ſenſim reddatur velocior: non eſt ſecundùm naturam elementi, quoniam non ei conuenit in proprio loco;

nec

nec ei conuenit ſua completa natura, & perfe-ctione prædito; ſed tendenti ad eam: nec ei conuenit ſeorſum à violentia conſtituto; ſed extra proprium locum per violentiam collocato: non itaque ſecundùm naturam iudicarī debet, ſed potiùs reditus in naturam; vt cum Platone, Ptolomæus, Hipparchus, & alij virī ſapientes nouerunt. Prætereà, cùm omnis motus ſecundùm naturam, debeat redigi ad aliquem motorē, qui ex propria conditione illū appetat, & intēdat; motus rectus nequaquam talis iudicari poteſt. Nā quæro, motus rectus à quo primò proficiſcitur? Nempe, vel à natura, vel ab anima. Non à natura: quoniā ea, quamuis ſit generationis principium; tamen in ordine ad motum in loco, eſt initium, per quod res moueantur; non autē eſt principium mouens; vt cum Plat. confitetur etiam Ariſt. in 8. Phyſ. 32. loquens de motu elementorū. Quare motor, qui primò mouet, debet eſſe anima, nō autem natura: Et ſi eſt anima, & ea quidem rationis particeps, qualis eſt ea elementorū; ea, ſuapte natura, & conditione, in orbem eſt nata mouere. Iure itaque motus primus propriè conueniens elementis, eſt motus in orbem: & præſertim hoc dicere debemus, cùm oſtenderimus, elementa eſſe animata, & eorum animas eſſe eiuſdem cōditionis cum anima mundi, & cœlorum; quæ cùm moueant in orbem, iure elementa, non motu recto, ſed in orbem per naturam eſſe nata moueri, cenſendum

eſt. Ex quo patet, oſtenſionem Ariſt. falſo innixam eſſe fundamento. Et dum vlteriùs addebatur; Si cœlum eſſet vnum elementorum, nõ ſeruaretur ratio inter elementa: Reſpondeo, rationem optimè ſeruari. Primò, quia in omnibus omnia ſunt. Secũdò, quoniam igneum ſeruans, fouens, & purgans, dominari debet; & ex dominio non ſequitur conſumptio aliorũ, vt cenſuit Ariſt. ſed potiùs ſequitur conſeruatio: quoniam cœlũ adeò eſt igneum, vt ſimul purè includat omnia; & ignis eius ſit vitalis, fœcundus, ſaluber, & ſeruatrix omnium. Philoponus in 1. Meteororum, & in diſputationibus contra Proclum, ſoluit hanc eandem Ariſtotelis rationem per id; quia aucta mole, non augetur gradus qualitatis. Sed ea ſolutio non ſatisfacit; quoniam, vt rectè ei obiicit Simplicius; etſi non augeatur gradus; augetur tamen vis efficiendi, ex maiore extenſione formæ, & numero partium conſurgẽs: Non itaque exactè, vt cenſeo, fundamenta ſolutionis manifeſtat. Sed eum dimittamus, & ad poſtremam Ariſt. confirmationem reſpondeamus. Dicebat Ariſt. nullam in cœli eſſentia apparere permutationem, nec in toto cœlo, nec in parte. Reſpondeo, id euenire ex puritate eius corporis, ex eius excellẽtia, ex magnitudine; & quia nihil extra ſe habet, à quo lædatur: ac inſuper ex anima; quæ cùm magis ei dominetur, & magis cum ipſo vno coniungatur; valet illud ab omni permutatione, & interitu ſeruare incolu-

colume: His poſtremò accedit voluntas opificis; quæ, nexus eſt cæteris firmior, & inſolubilior, vt inquit Plato in Timæo.

*An Plato de quinta Cœli eſſentia debeat cum Ariſtotele conciliari.*

## Cap. IIII.

Q Væritur iure merito, num Ariſtot. cum Plat. de quinta cœli eſſentia conciliari debeat. Simplicius in primo cœli, necnõ in ſecundo ait, eos in ſola voce, minimè in ſententia diſſentire; nã inquit, etiam ex opinione Platonis, cœlum eſſe quintam eſſentiam; quod confirmat: quia Plato quinque ponit animantium genera; terrena, aquea, aerea, ætherea, & ignea: pariter quinque ponit corpora prima: inſuper in Epinomide aſſerit, quinque eſſe figuras primas, reſpondentes primis quinque corporibus; & propterea prima corpora eſſe quinque, non quatuor ſolùm: demum, quia in Timæo ſe declarans, quid denotet nomine ignis, dum inquit cœlum eſſe igneum; ait ſe lucem denotare, non autem comburentem ignem; ideo aſſerit, oculorũ orbes eſſe participes eius ignis, qui non vrit quidem; ſed illuminando ſuauiter, diem inuehit mundo. Non itaque Plato verè cenſuit in cœlo ignem inueniri. Sed cùm hæc dicant Simplicius, & alij nonnulli, qui Simplicio adhærent; manifeſtè decipiuntur. Primò Simpl. aduerſatur Ariſtoteli, cùm dicat

in primo cœli com. 6. necnon 26. cœlum eſſe animatum; & propterea eſſe mixtum, & moueri per id, quod dominatur in eo: nam ſi mouetur cœlum per id, quod dominatur; ergo in eo reperietur dominans, & id, cui dominatur; & conſequenter oppoſitio partium componentium cœlum; quod maximè Ariſt. iudicat abſurdum. Inſuper: tunc motus eius non eſſet omnino ſimplex, vt nititur oſtendere Ariſtoteles in primo cœli. Præterea, ſi cœlum ex eo, quia eſt animatum, deberet eſſe mixtum, vt aſſeritur in ſecundo de anima, referente eodem Simplicio: quia in ſecundo de anima, animatum dicitur verè mixtum, ac inſuper inſtrumentarium; cœlum deberet eſſe verè mixtum, & inſtrumentarium; quæ quàm longè diſtent à ſententia Ariſtotelis, vnicuique eſt conſpicuum. Propterea dicamus, Ariſtotelem in ſecundo de anima ſolùm loqui de viuentibus mortalibus; & Simplicium perperam putare, ea quoque debere conuenire cœlo ex opinione Ariſtotelis, quæ mortalibus conueniunt. Præterea Simplicius in ſuo concilio etiam aduerſatur Platoni. Primò; quoniam, ex Platonis ſententia, omnia ſimplicia corpora mouentur per naturam in orbem; vt in præcedentibus apparuit: ideo non eſt dicendum, quod cœlum moueatur in orbem, ratione dominantis ſolùm. Præterea manifeſtiſsimè Plato, vt in præcedentibus manifeſtaui, eandem cœli, & mortalium iudicauit eſſe

mate-

materiam : de qua inquit in Timæo ; Generationis nutricem ignitam, & humefactam, terræ item, & aeris formas ſuſcipientem, paſsionesque horum pediſſequas perpetientem, omniformem aſpectu videri, &c. Vult itaque Plato, primam materiam, omnium eſſe communem; & vnà cum affectionibus recipere formas elementorum; nec alia prima corpora ponit, præter quatuor enumerata. Quod manifeſtè indicat per verba ſubſequentia, inquiens; In operis huius exordio Deus ignem primò, terramque creauit : ſed duo ſolùm abſque tertio quodam commodè cohærere non poſſunt, mediumque aliquod vinculum vtrorumque deſiderant. & poſt pauca; Qua ex coniunctione ita conſtitutus eſt mundus, vt aſpici, tangique poſsit : propterea ex huiuſmodi rebus numero quatuor, mundi corpus conflatum eſt. & poſt pauca ; Quatuor igitur, earum rerum quamlibet integram, mundus accepit:ex omni quippe igne,aere,aqua,terra, eius faber ita ipſum compoſuit ; vt nullam cuiuſquam iſtorum partem, aut vim extrà relinqueret. Ex his manifeſtiſsimè patet, Platonem ſola quatuor prima corpora in vniuerſo poſuiſſe: & eſſentiam quintam ſimplicem, genere diſtinctam ab aliis, nec excogitaſſe quidem. Non itaque rectè ſentiunt Simplicius, Ioannes Picus, Diacetius, Maynettus, & alij ; qui Ariſt. in ſolis verbis de re hac diſſentire à Platone affirmant, in ſententia autem conuenire:

ſed longê rectiùs vtriuſque opinionem explicarunt Plotinus, Porphyrius, Taurus, Philoponus in tertiadecima diſputatione contra Proclum cap. 15. & alij; qui re vera eos diſſentire exiſtimarunt, nec putarunt poſſe conciliari. Ad fundamenta pro parte aduerſa relata, non eſt difficile reſpondere. Ad primum; dum dicitur, Platonem quinque ponere animantium ordines, & quinque prima corpora; patet ſolutio ex ipſomet Platone in Timæo; vbi aerem in partem puriorem, quam nuncupat ætherem, & minùs puram diſtribuit: & in Epi nomide idipſum manifeſtat; nam quem Ariſtoteles incẽſionis fomitem ſub cœlo poſitum appellat, Plato nuncupat ętherem; & ſic ponit quinq; animalium ordines, quáuis prima corpora abſolutè ſolùm dicat eſſe quatuor. Ad fundamentum ſumptum ex primis quinque figuris, reſpondet Philoponus in diſputat. 13. contra Proclum cap. 18. inquiens, Platonem tribuere figuram illam quintam duodecim facierum; non quinto corpori, quintæúe eſſentiæ; ſed vniuerſo ex omnibus conflato; vt patet ex ipſomet Plat. in Timęo, inquit enim: Eſt & quinta quædam compoſitio, qua Deus ad vniuerſi compoſitionem eſt vſus; eaque deſcripſit, & figurauit. Sic itaque Plato, & ſimplicib. quatuor corporibus, & vniuerſo, propriam figuram tribuit. Nam mundi, & ſimplicium corporum duplex poteſt aſsignari figura: vna, quæ ſit terminus magnitudinis eorũ: altęra,

altera,quæ naturam,& propriam eorum conditionem,per analogiam, ac proprietatũ conuenientiam nobis patefaciat. Si de prima loquimur; cœlum, & ſimplicia corpora omnia, ſunt orbiculata, & rotunda; & iure quidem; nam hæc eſt figura prima, abſolutiſsima, apprimè ſimplex, & conſimilium partium, apprimè capax, aptiſsima corpori in orbem mobili; conuenientiſsima animæ eius, quæ iuncta menti in orbem mouere nata eſt: quæ figura exquiſitiſsima conuenit cœlo ob puritatem, & præſtantiam eius; minùs purè conuenit aliis. Ariſt. quoque eiuſdem eſt ſententiæ; hæc tamen eſt differentia: quia Ariſt. elementa ſub cœlo poſita,non ex ſe,ſed à ſolo cœlo figuram recipere exiſtimauit:Plato verò cognoſcens elementa eſſe animata, & per naturam ſuam eſſe nata moueri in orbem, vel in ſuo loco requieſcere; etiam nouit elementa, nedum à cœlo eam figurá recipere, & ex propria propenſione in ſuum locum; verùm etiam ex ſui natura, vt ſunt animata, mobiliaque in orbé. At ſi loquimur de figura, cuius cõditiones reſpondent conditionibus corporis, cui tribuitur,easque patefaciunt;ſic diuerſorum corporum diuerſæ figuræ ſunt. Nam Terræ conuenit figura Cuba; proportione reſpõdens conditioni terræ, ineptiſsimæ ad motum, aptiſsimæ ad requietem,& ad mutuam permutationem cum cæteris minimè accommodatá.Igni conuenit Pyramis; nedum, quia tenuis eſt,

acutus,ad perforádum maximè aptus; verùm inſuper,quia eſt apprimè leuis,& mobilis:quę omnia per Pyramidem aptiſsimè explicátur. Aquæ, & Aeri,quoniam in enumeratis conditionibus media ſunt, iure figuræ mediæ conueniunt; Aquæ,Icoſedra; hoc eſt viginti facierum; Aeri, Octedra, facierum octo. Vniuerſo conuenit figura duodecim facierum; tum ob duodecim mundi ſphæras;tum ob duodecim cœli ſigna:tum demum,quia hæc figura,ita in tercentum, & ſexaginta triangulos ſcalenos reſoluitur;vt cœlum in tercentum,& ſexaginta gradus. Ex his patet, rationem ex quinque primis figuris depromptá, minimè nobis aduerſari. Et longè minùs aduerſatur poſtrema, dum dicitur, quòd Plato manifeſtat, ex quali igne conſtet cœlum; & quòd non conſtat ex igne, qui flamma ſit; ſed ex luce, quatenus eſt corpus lucidiſsimum. Ad hoc dico, Platonem puriori, eminentiorique igni lucem tribuere; & propterea per lucem eius proprietatem, puriorem ignem circunſcribit: immò cùm dicat oculos noſtros eſſe participes cœleſtis ignis; verè indicat, cœlum non eſſe diuerſæ naturæ à mortalibus; ſed poſſe à mortalibus participari,& ſola puritate ab eis differre.

## *De Cœli compoſitione.* CAP. V.

ARiſtoteles ſtatuens cœli materiam diuerſam ab ea mortalium, nec videns in cœlo mutationem aliam vllam, præter motum in loco, cenſuit

ſuit cœlum ſolùm conſtare ex motore, & mobili:adeò,vt mobile eſſet ſimplex corpus; motor verò eſſet mens, ſiue intelligentia, ſiue anima eius: quouis enim nomine vtamur, nihil refert;ſemper enim eadem motoris natura denotatur. At Ariſt. nimiùm imperfectè cœlum reſoluit; imperfectè quidem,cùm ratione mobilis, tum ratione motoris. Nam ſi ad mobile conuertimur: quoniam includit materiam omnium corporum communem; ideo neceſſe eſt,vt in ea,etiam forma,ſiue formæ participatio inueniatur:& propterea ineſt in cœlo compoſitio ex infinito, & termino; ſiue ex materia,& participatione ideæ,vt etiam in aliis corporibus.Inſuper, vbi hæc compoſitio inuenitur, etiam reperitur alia ex quinq; generibus; ex eſſentia ſcilicet,identitate,alteritate, motu, & ſtatu. Præterea, quoniam ſingula ſimplicia corpora,modo quodam cætera includunt; ideò etiam in cœlo inueniuntur puritates omnium elementorum,reductorum in conditionem, & naturam ignis; conuenienti nexu, & proportione iunctorum. Si deinde ad motorem conuertimur:primò,præter naturam mobilem, conſideratur compoſitio ex mobili, & anima mouente: inſuper, adeſt compoſitio ex anima, & participata mente: ſupra quam eſt mens non participata, & ipſum vnum. Diminutè itaque Ariſtoteles, exactè Plato, cœlum in ſua componentia, & principia reſoluit: qui compoſitionis gradus, vt in cœlo, ita in reli-

quis elementis inueniuntur; puriores in cœlo, in aliis impuriores. Ideo iure Proclus in Timæum, Ariſtotelem de diminuta reſolutione cœli in ſua principia reprehendit. Et quamuis in cœlo ſolùm appareat permutatio in loco; & compoſitio ex motore, & mobili: tamen huiuſmodi compoſitio, cæteras omnes præſupponit. Inſuper, quamuis ſimplicia omnia corpora, ex anima, & corpore conſtēt; attamen conuenienti ratione, nec terra, nec aqua, nec aer, animalia dicuntur. Primò, quoniam animæ illis potiùs adſunt, quàm inſint; vt potiùs adeſſe, quàm ineſſe ſtatuis, dicuntur Dęmones: ideò, vt ob id ſtatuæ non dicuntur animalia; ita nec elementa ob ſuas animas. Præterea etiam id euenit, quia latet ea eſſe animata; ideo vulgò animalia non nũcupantur: at ſapientiores, ea eſſe animata, & modo quodam animalia, percipiunt. Demum, quia animalis nomen his vulgò tributum eſt, quæ ante oculos verſantur, ſenſu tactus ſunt prædita, ac inſtrumentis vitæ inſeruientibus ſunt decorata: huiuſmodi non ſunt ſimplicia corpora: & ideo, quamuis eis adſit anima; attamen animalia vulgò non nuncupantur. Ex quo patet, leuem eſſe inſtantiam Ariſtotelis contra Platonem in primo de anima, dum dixit:

Non dicere animal id, cui
conuenit anima,
abſurdum
eſt.

De

## *De gradibus Animalium ſimplicibus corporibus reſpondentium.*

### CAP. VI.

Qvemadmodum ſphæræ inferiorũ corporum, refertæ ſunt ſuis animalibus: pariter & cœlum ſibi cõuenientibus animalibus eſt decoratum: quæ eò præſtantiora ſunt, quò cœlum mortalibus corporibus præſtat; & eò magis eis debet eſſe refertum, quò corpus illud fœcundius, & vitalius eſt cæteris omnibus. Sic dantur quinque animãtium gradus, quinque ſimplicibus corporibus reſpondentes: quod in duplici ſignificatione verum eſt. Primò, ratione Dæmonũ: nam dantur Dæmònes ignei, ætherei, aerei, aquei, & terrei, modo iá in præcedentibus explicato. Secundò, ratione diuerſorum viuentium, & incolarum: dantur enim pecudes, iumenta, & homines, qui ſunt incolę terræ; piſces, aquarum; volucres, aeris; Dęmones, præſertim ætheris; Dij, ignis. ſic ſtellæ, & cœli, viſibiles Dij ſæpe nuncupãtur: ſunt enim ſtellæ abſoluta quædam corpora, anima propria prædita, per quam motu diſtincto ab eo ſui orbis cientur; quamuis longè ſecùs ſentiat Ariſtoteles, qui ſolo motu ſui orbis ſtellá moueri cenſuit. Et Simplicius volens motum illum proprium ſeruare etiam cum Ariſtotele, manifeſtiſsimè errauit: ſummopere enim aduerſatur verbis, & rationibus Ariſt. Vt pro motu vniuerſi cœli, non ſunt neceſſaria inſtru-

mēta motui inſeruientia; ita neque pro motū ſtellarum. Propterea valde leui in ſecūdo cœli vtitur ratione Ariſtoteles; dum oſtendit ſtellas proprio motu non moueri, quia carent pedibus, cæteriſque inſtrumentis motus: non enim, vt anima moueat id corpus, cui maximè dominatur, eget inſtrumentis; & præſertim, dum mouet in orbem. Inſuper, quamuis Ariſt. in ſecundo de Generatione animalium cap. 3. dicat ignem nullum generare animal: tamen ſententia eius, non de omni igne vera eſt; ſed de eo, qui eſt combuſtio, & flamma; non de vitali, fœcundo, & cœleſti igne: qui tantum abeſt, vt vitæ aduerſetur; vt potiùs fons, & initium vitæ cæterorum, cenſeri mereatur. Sed obiicit Platoni Ariſt. in 2. de cœlo. Si cœlum eget animata neceſsitate, detinente illud natum ſecùs moueri; eius anima, æterna premeretur miſeria: primò, quia laboraret pro detinendo corpore nato ſecùs moueri: ſecundò, quia nunquā à corpore abiungeretur, & nunquam ſortiretur diſpoſitionem optimam, quæ animæ conuenit in ſeparatione à corpore ex ſententia Platonis: vt eidē Platoni obiicit Ariſtot. etiam in primo de anima 49. inquiens; Laborioſum autem eſt, & commixtum eſſe corpori, ita vt non poſsit abſolui, & adhuc fugiendum; ſiquidem melius eſt intellectui, non cum corpore eſſe: vt conſuetum eſt dici, & multis placet. Sed huiuſmodi inſtātiæ, ex ſententia Platonis rectè percepta, inanes iudicantur.

tur. Nam cœlum, & mundus dicuntur eſſe nata ſecùs moueri: nō quidem propriè, nec quia ad oppoſitum, vel ad alium motum ſint procliuia, & violentia detineantur: ſed ſolùm id eſt verum cum negatione; quatenus illū motum, & ordinem, non ex ſe habent; ſed ab alio recipiunt; & propterea ſimplicia corpora, ante mundi productionem, fluctuare, & inordinatè moueri dicebantur. Inſuper cœleſtia, cùm ſint ſolubilia, dicuntur diuina voluntate detineri, ne ſoluantur; vt in præcedentibus declaratum eſt: quæ minimè eſt violentia contraria naturæ; ſed diuina, ſupra naturam, & naturæ apprimè ſalutaris. Inſuper, anima mundi, & cœlorum, quamuis ſemper ſint coniunctæ cū corpore; attamen ſimul etiam ſunt ſeiunctæ, coniunctæ cum mente, & ſupra cœlum eleuatæ: in qua eleuatione beantur ſemper, & æterna fœlicitate fruuntur.

*De motu Cœli.*

## Cap. VII.

COelum moueri, & motum eius eſſe in orbem, conueniunt profectò viri ſapientes: at in attinentibus ad eius motum, variæ occurrunt difficultates. Quæritur primò, cur cœlum moueatur in orbem. Dicendum eſt, multiplici de cauſſa id euenire; nam primò id euenit ratione mobilis: cùm enim cœlum ſit rotundum, motu in orbem mobili reſpondente debuit moueri:

inſuper, cùm cœlum ſit corpus primum, & præſtantiſsimum; motu primo, & præſtantiſſimo moueri debuit; huiuſmodi eſt motus in orbem; præterea, cùm cœlum nunquam debeat mutare locum, ſed ſemper in eodem reperiri; ne violentiæ ſubiiciatur, iure ſolùm debuit in ſuo loco reuolui. Secundò, ratione finis: nam motus cœli debuit eſſe in orbem; vt poſſet eſſe vnus, æternus, & continuus: inſuper, vt omnia in eodem ordine, & gradu conſeruaret; eaque intra ſe ambiendo perficeret: prætereà, vt vnà ſtatum, & immobilitatem primi principij patefaceret; cœlum enim, & mundus, quamuis moueátur, tamen vnà cum motu ſeruantur immobilia: inſuper, vt motus cœli eſſet velociſsimus; motus enim in orbem, velociſsimus eſt: demum, vt eſſet magis conſimilis, & partibus præditus exacta proportione iunctis. Tertiò, ratione efficientis: nam initium motus eſt anima mentis compos, anima motu quodam tranſeunte nata eſt mouere; ac ob nexum cum mente, quæ mens in ſe conuertitur, & orbem cõſtituit, mouet in orbem: inſuper, ob nexum cum primo principio ita mouet; quæ enim cũ primo principio nectuntur, pendẽt ab eo, redeuntq́ue in illud; ex quibus ſpiritalibus conuerſionibus pendet primò cœli, & mundi rotunditas; mox conſurgit hæc cœli corporea conuerſio. Ariſtoteles in primo de anima, in cont. 45. & ſequentibus, inuehitur in hanc Platonis ſententiam. Primò

eum

eum carpit: quia cùm anima non ſit magnitudo, non eſt prædita rectitudine, & reflexione in circulum; hæ namque ſunt affectiones magnitudinis. Prætereà, ſi Plato reflexionem, & circulum intellectus refert ad eius intellectionem, hoc etiam rectè dici non poteſt. Primò, quia intellectio eſt ex vno in aliud: & ſe habet, non vt continua magnitudo; ſed vt numerus conſequenter ſe habens, ex indiuiduis conſtans: & ſi continua fuerit, non eſt continua, vt magnitudo; ſed vt actio. Prætereà, ſi anima rationalis eſt circulus; & intelligit per contactum, tangẽdo indiuiduum aliquod: quomodo circulus valet tangere vnum indiuiduum? Præterea, intellectio non videtur poſſe dici circulus; quoniam vel eſt intellectio ad actionem dirigens, vel ad contemplationem: ſi ad actionem; in ea conſideratur principium, & finis à principio diſtinctus; nam actio finis eſt: & propterea non eſt conuolutio: ſi intellectio dirigat ad contemplationem; in attinentibus ad ſcientiam, principia à fine diſtincta ſunt; principia ſunt definitiones, ſcibile autem eſt affectio de ſubiecto; quare in ea quoque intellectione non reperitur conuerſio, & circulus. Quòd ſi dicimus in intellectione ineſſe circulum per repetitionem eiuſdem, hoc quoque dici non poteſt: quoniam dum intelligimus, non in circulum infinities repetimus idem. Accedit, quòd intellectio, & ſyllogiſmus, potiùs eſt ſimilis cuidam quieti, & ſtatui, quàm

motui: quia intellectio, in termino, & fine poſita eſt: & nobis conuenit requieſcentibus, ſedatiſque animi perturbationibus, non motis. Propterea addit in cont.50. Latet autem cauſſa, cur cœlum in orbem feratur: neque enim animæ ſubſtantia cauſſa eſt, quòd cœlum ita feratur; ſed ex euentu ita mouetur, &c. Hæc, & ſimilia ſunt, quæ Ariſtoteles contra ſententiam Platonis affert: per quæ minimè euertit eam; ſed ſolùm manifeſtat, quæ à Platone tribuuntur animæ, vel intellectui, eſſe vera, tanquam de cauſſa, & per translationem; non autem propriè: & hoc libentiſsimè concedunt Platonici, qui ad ſolam proprietatum conuenientiam reſpiciunt. Et hoc nedum faciunt Platonici, verùm etiam ipſemet Ariſt. qui in 8. Metaph. cont. 10. ait, rerum eſſentias perinde ſe habere ac numeros; & in 3. de anima cont. 10. intellectionem quandam dicit ſimilem lineæ rectæ, aliam circunflexæ: & in lib. de ſenſu & ſenſili, communem ſenſum centro circuli ait, eſſe ſimilem; id ipſum facit & alibi: & iure quidem; nam incorporea valde latēt; propterea metaphoris, & ſimilitudinibus à re corporea ſumptis explicanda ſunt. Sic itaque rectitudo, & conuerſio, ratione diuerſorum conſiderātur in anima: nō quidem ea corporum; ſed ſpiritalis, ei corporū conuenienti proportione reſpondens. Et dum addit Ariſtoteles, intellectionem non eſſe ſimilem circulo, & id ipſum oſtendit: proculdubio de vno loquitur

Plato,

Plato,ad aliud reſpicit Ariſtoteles. Conſiderat Plato præcipuam rationalis animæ intellectionem; quæ eſt per reditum animæ in ſe, & nexum rationum cum ideis; qui nexus dicitur metaphoricè tactus; ratio autem, & idea, ſunt indiuiduum, quod tangitur: in qua operatione cōſideratur circulus, cùm ratione intellectionis, tum ratione appetitus. Ratione intellectionis: quia mens in ſeipſam intelligendo conuertitur; & anima mentem imitans,in ſe,& in mentem, vt in principium, reflectitur: qui contactus,conuerſio,& reflexio, in cœlorum animis continua ſunt, abſque vlla temporis intermiſsione; immò ſupra tempus eleuata.Præterea adeſt circulus,ratione appetitionis; quoniam eximio quodam affectu, anima in mētem, mens in ſe, & in ipſum vnum reflectitur: propterea eodem quoque affectu, & deſiderio, orbem, cui abſolutè anima dominatur,ab eodem ducit ad idem; vt effectus pro facultate ſuæ cauſſæ, ſuoque principio ſimilis ſit.Et quamuis intellectio aliqua ex parte ſit ſimilis ſtatui,& requieti; attamen latè ſumendo motum,primò in mēte eſt motus,pro tranſitu ab eſſe ad agere,& pro perfectione intelligentis ab intelligibili ſaltem ratione diſtincti:in anima adhuc magis propriè, & cum maiori alteritate ſeruatur motus; ob maiorem diſtinctionem rationum, & progreſſum ex vna in aliam. Sic itaque intellectio, aliqua conſideratione motui; alia verò ſtatui, & requieti

ſimilis eſt. Sed Ariſtoteles ſecùs ſentiens de Ideis, de rationibus, de modo intelligendi, ac demum de compoſitione animæ; iure merito de adnexis, & pendentibus ab his, ſecùs ſentit, & ſecùs loquitur. Rectè itaque cum Platone dixit Plotinus, animam cœli mouere in orbem; quia mentem imitatur, quæ in ſeipſam conuertitur.

### *An Cœli motus ſit naturalis.*

### Cap. VIII.

QVoniam cœli motus, & à natura, & ab anima, & à mēte pendet; propterea variis conditionibus eſt prǫditus, variiſque denominationibus denotari poteſt. Primò cœli motus à natura pēdet: à qua hoc recipit, vt cœlum ſit natum ita moueri, & ſit procliue ad illum motū; per quam naturam, & facilitatem, ſiue propenſionem, motus ille naturalis dicitur: Vt verò ab efficiente, & proximè mouente, pēdet ab anima: à qua habet trāſitum ex vno in aliud, fluxum, & operationem ſuę naturali inclinationi congruentem; per quam animam motus ille animarius nuncupatur: Remotè pendet à mente, tanquam à dirigente, & tanquam ab ea, quam anima nititur pro facultate imitari; à qua mente motus cœli habet, vt ſemper ſit ſibi conſimilis, & æternus; vt in lib. de Regno aſſeritur. Sic itaque in cœlo motus naturalis, animarius, voluntarius, mētalis, ſiue diuinus,

in idem veniunt; nec ſuperuacanea, immò neceſſaria eſt ea principiorum ſubordinatio. Ariſtoteles etiam motum cœli, & à natura, & ab anima, & à mente prouenire affirmat; ſed lōgè ſecùs, ac id faciat Plato; cùm de natura, de anima, & de mente cœlorū, ſecùs ſentiat. Duplex præſertim in cœlo apparet motus, vnꝰ ab ortu in occaſum, alter è contra ab occaſu in ortum. Ariſtoteles hos eſſe motus duos in obliquum ſibi oppoſitos, nedum cenſuit, ſed etiam ratione comprobauit in 2. lib. de Cœlo; cauſſamq́ue attulit, cur eo duplici motu moueatur cœlum. Plato de eo agens, tanquam de re dubia, ancipitem nonnunquam ſe indicauit: dubitauit enim, num re vera Planetæ eo duplici motu mouerentur, vt eſt communis ſententia; vel potiùs vnico mouerentur, & viderentur nobis duplici motu moueri, ob tardiorem quorundam orbium reuolutionem. Plato opinionem primam communiorem, & magis vulgarem cenſet; alteram iudicat veriorem: Ideo in Epinomide dixit, octauam ſphæram nuncupari mundum ſupernum, & moueri ab ortu in occaſum, cæteroſq́ue orbes ſecum trahere: vt hominibus pauca de iis ſcientibus videtur, &c. Sic vulgarem dixit eſſe eam ſententiam; quòd primum mobile, ſecum trahat alia, quæ ſint nata ex ſe moueri in oppoſitum. Inſuper, prope calcem 7. de Legibus inquit. Non eſt, ô viri optimi, vera hæc de Sole, & Luna, cæteriſq́ue ſtellis opinio, quòd vnquam pererrent;

ſed contrà ſe res habet: eandem enim quod-uis illorum viam, non multas, circumeundo peragit; quamuis videatur per multas ferri. Quod verò in eis velociſsimum eſt, non rectè tardiſsimum, & contrà contrarium iudicamus, peccareque ita opinantes patet. Nam ſi in Olympico ludo, curſu certantes ſpectaremus; & velociſsimum tardiſsimè, tardiſsimũ velociſsimè currere prædicaremus; laudibuſque viciſſe victum caneremus; non placerent, vt arbitror, laudes noſtræ curſoribus. Nunc verò cùm de Diis ſimiliter peccemus, nonne ridiculi ſumus; ſimiliterque aberramus à recto? &c. Per hæc verba videtur indicare Plato, cœlos omnes ab ortu in occaſum moueri: illũ verò, quem iudicamus eſſe motum ab occaſu in ortum, re vera motum non eſſe; ſed ſolùm retardationem quandam. In Timæo tamen aſſerit moueri duplici motu; & motum ab ortu, nuncupat motum identitatis; alterum, diuerſitatis; adeò, vt manifeſtet vtramque ſententiam poſſe defendi, & vtramque modo aliquo eſſe rationi conſentaneã: nos autem de rebus dubiis nil certi decernere debemus, ne Platoni duci aduerſemur. Quod autẽ dixit Plato de motu cœli in lib. de Regno, dum aſſeruit; Vniuerſum hoc aliàs Deus ipſe regit, agitat, atque rotat; aliàs verò dimittit, cùm mundi circuitus competentia ſibi curricula temporis expleuerunt. Mundus verò vltrò, ac libero cum motu contrà reflectitur, &c. Hoc, inquam, &

aiia

alia conſimilia, quæ de alternatione motuum cœli ibi dicuntur, allegoricè intelligi debent: non autem, vt verba extrinſecùs ſignificare videntur. Et proculdubio prȩclara myſteria mira arte ſolertibus ingeniis eo in loco latenter indicantur; & præſertim ea, quæ pertinent ad duplicem hominis ortum: quorum vnus eſt corporis, & fit regnante Ioue, mundi communi Rege, per quem munera in vniuerſum diſtribuuntur: alter eſt animi; & fit regnãte Saturno, hoc eſt, contemplatione; per quem motu retrogrado animus, qui manauit à Deo, redit in ſuum principium: quo ſecundo ortu dũ oriuntur homines, ſenes ſunt; quoniam ſpiritalis & animarius homo, ſolùm oritur ſeneſcente corpore; tunc enim ſolùm anima ad mentem, veræ vitæ principium, eleuatur. Sed his prætermiſsis, quȩ longam expoſcerent explicationem, ne Platoni ea ſub ænigmate proferenti aduerſemur, eò reuertamur, vnde receſsimus. Manifeſtiſsimè proculdubiò mouetur cœlũ ab ortu in occaſum, qui motus iure merito motus totius nuncupari mereretur; cùm nedum cœlum, verùm inſuper elemẽta quoq; ſub cœlo poſita, eodem motu moueantur: & cùm ita reuoluuntur, non rapiuntur à cœlo, vt eſt vulgaris ſententia; ſed per animam, vel mundi, vel propriam reuoluuntur in orbem: per animam mundi, motu totius; per propriá, motu proprio: vel per Animam mundi, tanquam per ducem; per cæteras, vt per eas, quæ

cuſtodem eſſe voluit; necnon primam, antiquiſsimamque Deorum omnium, qui intra cœlum ſunt geniti, &c. Per hæc verba indicare videtur Plato, terram vnà cum cœlo moueri in orbem: ideò Ariſt. in ſecundo cœli 75. tribuit Platoni, quòd aſſeruerit terram circa medium reuolui. Cicero quoque in ſecundo Academicarum quæſtionum inquit; Atque etiã circunuolui terram, Platonem in Timæo dicere, quidam arbitrantur; ſed paulò obſcuriùs. Ariſtarchus, & Seleucus, referente Plutarcho in ſeptima quæſtione Platonica, terram volui circa medium affirmarunt: & Seleucus, nedũ id affirmauit; verùm etiam demonſtratione comprobauit. Idipſum ex verbis Platonis nõnulli colligunt; dum dixit, terram eſſe effectricem diei, & noctis: nõ enim videtur poſſe hoc efficere, niſi moueatur. Proculdubio aſſerere terram moueri in orbem, eſt manifeſtè aduerſari ſenſibus, & rationi: neque putandum eſt, Platonem huius fuiſſe ſententiæ. Plato enim in Timæo terræ tribuit figurám cubam; eique idcirco cõuenire affirmat, quia omnium quatuor corporum maximè immobilis terra eſt, & corporatorum omnium maximè compacta. Inſuper, clariùs in Phædro id ipſum manifeſtat, inquiens; Magnus itaque Dux in cœlo Iupiter, citans alatum currum, primus incedit; exornans cuncta, prouideque diſponens: Hunc ſequitur Deorum, Dæmonumque exercitus, per vndecim partes ordinatus; perma-

net autem Veſta in Deorum æde ſola, &c. Cũ Plato dicat Veſtam permanere in ſua ſede, quæ Veſta denotat Deum, & animam terræ; quid aliud denotare voluit, niſi quòd terra immobilis permaneret in centro? quam terrã, ſedem Deorum nũcupauit in Timæo. Neque eſt difficile ſatisfacere aduerſis rationibus. Nã ad primam, dum dicitur, cętera elementa moueri, & motum in orbem nuncupari motum totius; reſpondeo, de terra, & aliis elementis diuerſam eſſe rationem: nam terra eſt, vt centrum maximè diſtans à cœlo; centro conuenit requies; diſtãtia à cœlo, minùs mouentur; ideo demum ad immobile eſt deueniendum: Terra eſt, tanquam fœmina; quæ vt cumulatiùs munera, & fœmina recipiat à cœlo, tanquã à parente, & ea in frugem valeat deducere; debet requieſcere: motus in orbem, dicitur motus totius; quia conſideratur terra, tanquam centrum, & veluti aliquid noſtrum ſenſum fugiens; in ordine ad vniuerſum, quod moueatur. Dum id oſtenditur ex eo, quia terra eſt animata, ideo prædita principio motus; reſpondeo cum Platone, Veſtam ſolam manere in æde Deorum; nam quamuis omnis anima ſit numerus ſe mouens, non tamen omnis neceſſariò mouet in orbem illud corpus, cui iuncta eſt; præſertim, dum tale corpus non fuerit illi motui accommodatum; neque expediat, vt ita moueatur. Et quamuis anima terram non moueat in orbem, non propterea fruſtra iungitur

gitur illi: nam eam ſeruat, vitam ei tribuit, fœcundam reddit; & niſi totam, ſaltem partes eius, vt expedit, mouet. Ad Ariſtotelem, qui Platoni tribuit oppoſitum, & ad verba Platonis in Timæo; dico cum Proclo, & cum Simplicio, ea verba dupliciter legi poſſe. Primò legũtur, vt referuntur ab Ariſtot. quòd Plato dicat terram altricem noſtram, εἰλεῖσθαι, hoc eſt volui circa eum, qui per vniuerſum ordinatus eſt, Polum: quam lectionem minimè approbandam affirmant, & iure quidem; cùm non conſentiat cum ſententia Platonis de terra, alibi approbata, vt apparuit. Alia lectio eſt; quòd Plato terram dicat, non εἰλυμένην, hoc eſt reuolutam; ſed ἰλλομένην, hoc eſt alligatam, & infixam; & hanc approbant Proclus, Simplicius, Diogenes Laertius, & Alcinous: immò Cicero latina reddens ea verba Platonis, dixit: Iam verò terram altricem noſtram, quæ traiecto axe ſuſtinetur, diei, noctiſque effectricem fecit. Aſſeruit itaque, traiecto axe ſuſtineri, indicans ſe legiſſe ἰλλομένην: vt Simplicius, & Proclus debere legi exiſtimant. Propterea ex eo loco rectè aſſumpto, terram in medio, non reuolui, ſed requieſcere, colligimus; & propterea hac de re Platonem conuenire quidem cum Ariſtotele, non autem oppoſitum ſentire, vt perperam ei tribuit Ariſtoteles. Quòd ſi etiam concedere volumus, Platonem ibi dicere, terram volui; cuius oppoſitum aſſerit in Phædro: dicamus, non ex propria opinione

illud dicere; ſed ex opinione Pythagoræ, quē in Timæo ſectatur: Plurimi enim ex Pythagoreis aſſeruerunt, ſtante cœlo, volui terram; vt Philolaus, Heraclides Ponticus, atq; Ecphantus, & cum eis Niceta Syracuſanus; vt in Academicis refert Cicero, auctoritate Theophraſti. Attamen ex opinione Platonis ſeeùs proculdubio eſt ſentiendum: quod manifeſtiſsimè patet; quia cœlum moueri affirmat, & fatetur à nobis in terra poſitis ſeruari, & menſurari poſſe cœli motus: quod non contingeret, ſi terra volueretur in orbem.

*De cauſa requietis terræ in medio.*

### Cap. X.

CVm terra in vniuerſi medio requieſcat, iure quis mirari poterit, & ad cauſſæ inueſtigationem excitari; vnde eueniat, quòd ea ſaltem non decidat, & verſus aliquam cœli partem cadat, & ruat. Quam difficultatem mouet Plato in Phędone; & cùm varias retuliſſet, reieciſsetque cauſſas ab aliis relatas; demum afferens propriam ſententiam, inquit: Perſuaſum mihi quidem eſt: primò, ſi eſt terra in cœli medio rotunda; nil ei opus eſſe, vel aere, vel alia neceſsitate eiuſmodi, ad hoc, vt nunquam decidat; ſed ad eam ſuſtinendam ſatis id eſſe, quòd & cœlum vndique ſibi ipſi ſimillimum eſt omnino, & terra vndique æquilibris: Res enim æquilibris, in ſimilis alicuius medio poſita,

ſita, nec magis, nec minùs poteſt in partem aliquam inclinari; cumque ſimiliter ſe habeat, ab inclinatione permanet aliena. Hæc Plato. Ariſtoteles verò in ſecundo de cœlo cont. 90. hác opinionem tribuit Anaximandro, & eſſe falſam oſtendit; præſertim ex eo: quia pari ratione ſequeretur, nec ignem, nec aliud corpus in medio collocatum, debere moueri. Inſuper, quia terra, nedum non mouetur à medio; verùm etiam ad medium tendit, cùm fuerit extra medium collocata; non autem ruit verſus partem illam cœli ſibi propinquiorem. Proculdubio; ſi pro cauſſa, ſolam indifferentiam, & æqualem diſtantiam à cœlo aſsignaremus: diminutè eam traderemus: at dum principia, & fundamenta Platonis perpendemus; ex eis, necnon ex indifferentia ſimul, conuenientem cauſſam colligere valebimus: nam, & per naturam, & per animam, & per conuenientem mundi formam, in medio terram requieſcere percipiemus. Per naturam primò; quoniam id, quod per animam vniuerſi eſt diſpoſitum, per naturam fieri dicitur: diſpoſitio partium mundi, pendet ex prouidentia per animam, & naturam mediam. Id autem, quod à Platone dicitur de indifferentia; partim dicitur ex opinione aliorum ſatis apparente; partim dicitur, vt indicetur, terram requieſcere in medio, ratione ordinis vniuerſi; vt manifeſtetur, de ratione eius eſſe, vt æquè diſtet à cœlo; cùm ad illud ſe habeat, tanquam centrum. Conſueuit

tamen in ſuis dialogis Plato, multa proferre ex aliorum ſententia, & ad vulgi demulcendas aures; quæ à ſolerti Platonico debent deinde, per potiora Platonis fundamenta, in conuenientem ſententiam redigi.

*De Grauitate, & Leuitate.*

## CAP. XI.

TRiplex in corporibus, quæ elementa dicuntur, conſideratur grauedo: Vna eſt aduentitia; per quam dicimus corpora, quò magis mouētur, eò ferri velociùs; & quò feruntur velociùs, eſſe grauiora: Altera eſt naturalis propenſio ad proprium motū. Poſtrema eſt grauedo eſſentialis; de qua loquentes, dicimus terram grauem, ignem leuem. Si loquimur de prima aduentitia grauitate; ea ſolùm elementis conuenit, dum redeunt in ſuam naturam, & locum ſibi competentem; & conuenit, non in principio, ſed in progreſſu motus: & nō minus conuenit ætheri, & aeri, quàm aquæ, & terræ. Cœlo hæc grauedo non conuenit; quia nunquam à ſuo loco, ſuâve natura recedit. Secunda grauedo conuenit elementis duplici modo; primo, dum redeunt in ſuum locum; altero, dum feruntur in orbem; nam hæc grauitas nil aliud eſt, niſi propenſio ad illum motū. Ex his duobus modis, primus non conuenit cœlo; quia non mouetur motu recto: alter verò maximè conuenit; quia maximè ad motum ſuum eſt

pro-

procliue; & grauiſsimum iudicaremus cœlũ, ſi nobis datum eſſet ſuo motui manum opponere. Tertia abſolutè conuenit omnibus: cuncta enim elementa aliquid grauitatis includunt; cùm materiam, & corpoream compoſitionem in ſe habeant. Hinc faciliùs elementa omnia deſcenderent, quàm aſcenderent: facta tamen comparatione, aer, æther, & ignis, leuia dicuntur; aqua, & terra, grauia. De hac tertia loquutus eſt Plato in Timæo, dum dixit; Leuiſsimum eſſe, quod pauciſsimas baſes includit, & ex pauciſsimis partibus eiſdem conſtat, qualis eſt ignis. De altera grauitate, ſcilicet, de ſecunda, verba fecit in Timæo, dum dixit; Vnum tamen id de his omnibus cogitandum; quòd via, greſsioque ſingulorum corporum, ad ſimile, atque cognatum ferens; graue facit id, quod fertur: in quo quidem ſecundo grauitatis genere includitur modo aliquo etiam primum; vt conſideranti notum eſt. Et ſi quis quęrat, quomodo elementorum partes in ſuum locum reuertantur; dicendum eſt, quòd redeunt, & per ſuam naturam, & per animam ſimul: per naturam ſuam, habent propenſionem ad illum motum; per animam, abſolutionem, & perfectionem. Et ſi per imaginationem ſphæra terræ ſub orbe lunæ proximè poſita eſſet, iam imaginaremur peruerſionem ordinis vniuerſi; ad quam, nec anima terræ, nec eius natura, eſſet procliuis: & propterea tunc partes liberæ derelictæ, ad ſuum totũ

non mouerentur; quia nec anima ad illum locum traheret, nec partes in illum eſſent procliues; cùm ea ſit diſpoſitio præter naturam; ex fatua noſtra imaginatione pendens: ad quam ſi ſequuntur abſurda, nil refert, cùm ſequantur ex noſtra inani imaginatione. Ex his patet, quomodo à calumnia vindicari debeat Plato, dum carpitur; quia dicat, elementorum partes ad ſuum totum moueri, ab eoq; trahi.

*Comparatio opinionis Ariſtotelis cum ſententia Platonis in nuper dictis.*

## Cap. XII.

IN plurimis profectò Ariſtot. à Platone diſſentire videtur. Primò, Ariſt. triplex illud grauitatis genus non ponit, ſed ſolùm duplex; primum videlicet, & tertium. Secundò, Ariſt. cœlum nec graue, nec leue eſſe affirmat: ex ſententia Platonis dictum eſt, cœlum aliqua ratione leue, alia verò graue dici poſſe. Tertiò, Ariſt. ignem dicit ſolùm leuem; Plato verò ætherem ſub cœlo poſitum, igni reſpõdentem; & leuem in comparatione, & grauem in propenſione ad ſuum locum affirmat. Quartò, Ariſt. in poſtremo lib. de Cœlo, à cont. octauo ad 10. reiicit eam leuitatis, & grauitatis cauſſam, à Platone in Timæo traditam; dum dixit, Leuiſſimum eſſe, quod paucisſimas baſes includit, & ex paucisſimis partibus eiſdem cõſtat. Demum, diſſentire videtur in aſsignanda cauſſa

redi-

reditus partium elementorum in ſuum locũ: nulla enim ratione, & modo cenſet, id ab anima poſſe prouenire; ſed ſolùm ab eorum natura. De quibus diſſenſionibus loquens aſſero, nonnullas eſſe poſitas in ſola voce, alias verò in rei natura. Nam de prima, dum dicitur, Platonem nuncupaſſe grauedinem reditum, & propenſionem corporis in ſuum locum; dico, hanc eſſe litem in voce, non in ſententia. Conueniunt, quòd detur illa propenſio in ſuum locum, & ad ſuum motum: ſed Plato cenſuit, poſſe dici grauitatem; quod non cenſuit Ariſtoteles. Ratio tamen huius diuerſitatis pendet ex eo; quia Ariſtot. in vniuerſo poſuit ſurſum, & deorſum, natura diſtincta; non autem Plato, vt in ſequentibus apparebit. De ſecunda differentia; quia Ariſt. cœlum dicit, nec graue, nec leue: aſſero, eatenus re vera diſſentire: quatenus Plato cœlum dicit ignem, vel igneũ; quod negat Ariſtot. De tertia, cenſeo eos etiã re vera eſſe diſcordes. Nam Plato rationem ſequutus, id omne cenſuit graue; quod materiã, & corpoream aliquam compoſitionem includeret; denotatam ab eo per baſes, & partes: quamuis enim materia nõ ſit grauis; attamen ad eam vnà cum forma, ſequitur grauitas, vel maior, vel minor; ratione maioris, vel minoris denſitatis corporis, & compactionis. Ariſt. verò ſenſui credens, quod ſurſum abſolutè tendit, nuncupauit abſolutè leue; quod Plato nuncupat leuiſsimum omnium in compara-

tione, hoc eſt, minùs graue aliis. De quarta diſſenſione, videlicet de cauſſa grauitatis tradita à Platone, reiecta ab Ariſtotele: dico primò, Platonem per baſes, & partes, denotaſſe denſitatem, multitudinem materiæ, & compactionem; non mathematicas baſes. Dico ſecundò, diſſentire re vera ab Ariſtotele; quoniã ex fundamentis Platonis ſequitur, in omni corpore aliquid grauitatis reperiri, vt patuit. Addo tertiò, rationes Ariſtotelis contra Platonem, leues eſſe, & facilè poſſe ſolui. Nam obiicit ei Ariſt. quoniam magnus ignis grauior eſſet paruo. Inſuper, magnus ignis grauior eſſet exigua aliqua portione terræ; quoniam in magno igne plures eſſent partes conſimiles, & baſes, quàm in exigua illa portione terræ: nos autem oppoſitum conſpicimus; quoniam ignis, quò maior, eò videtur leuior; & magis videtur tendere ſurſum. Ad hæc dico, maiorẽ ignem eſſe quidem grauiorem in extenſione, at nõ in intenſione; vt maior aqua, eſt grauior exigua portione terræ. Inſuper, magnum lignum eſt grauius paruo ligno; at non ob id magnum lignum non ſupernatat, vel non tendit ſurſum in aqua, immò maximè tendit ſurſum, & cum maiori difficultate ab inferente violentiam mergitur: pariter de igne, & aere ſe habet. De poſtrema diſſenſione, pertinente ad reditum partium elementorum in ſuum locum: vt pertinet ad propriam naturam, & propenſionem earum partium; vtique

que non diſſentiunt: vt verò pertinet ad animam illius ſphæræ conducentem ad illum motum, & attrahentem; re vera diſſentiunt, nec conciliari poſſunt. Et quamuis in eo reditu partium in ſuum locum, conſideretur aliquis tractus; non propterea motus ille eſt violentus: quoniam anima ita trahit, vt mobile eſt procliue, & natum trahi. Et inde euenit, quòd non difficiliùs trahitur maius, quàm minus corpus; vt Platoni obiiciebat Auerroes.

## *De differentiis poſitionis Mundi.* CAP. XIII.

Differentiæ poſitionis, quoniam modo aliquo oppoſitionem, & contrarietatem includunt; propterea verè, & propriè in animali perfecto, prædito partibus diuerſæ facultatis, diuerſæque figuræ inueniuntur: in corpore autem orbiculato, non abſolutè; & propriè; ſed ſolùm reſpectu noſtri, vel ratione quarundam proprietatū, conſiderari poſſùnt. Dum enim rotundum corpus conſideramus; in eo ratione propria ſolùm reperitur medium, & circunferentia. Propterea iure Plato in Timæo eos dānat; qui in vniuerſo ſurſum, & deorſum, ex rei natura diſtincta inueniri affirmant: corpus enim conſimile, & rotundum; non ſurſum, & deorſum includit, quod ad lōgitudinem pertinet; ſed ſolùm medium, & quod eſt circa medium. Inſuper, conuenienti etiam ratione hoc

dictum eſt à Platone: quoniam, vt ob figurã, ita ob motum elementorum: ſurſum, & deorſum, concedi ex natura rerum in vniuerſo, nõ debent: nam, ex Platonis ſententia, elementa, ſui natura; non in rectum, ſed in orbem cientur. Quare in vniuerſo, & ratione figuræ, & ratione proprij motus eius; nec ſurſum, nec deorſum inueniuntur. At ſi tertiò reſpicimus ad reditũ partiũ elementorum in ſuam naturã, & locũ; quoniam id faciunt per motum rectũ; ſic in ea rectitudine ſurſum, & deorſum cõſiderare valemus: attamen nõ eſt maior ratio, quòd extremũ vnum dicatur ſurſum, quàm aliud; pariter, quòd dicatur deorſum. Nos tamen ad noſmetipſos, & ad noſtri corporis diſpoſitionem reſpicientes; quod vergit ad pedes, nuncupamus deorſum: cùm tamen, ratione mobilium, ſurſum ſit, vnde mobilia recedunt; deorſum, quò tendunt: adeò, vt deorſum terræ, opponatur ei, quod eſt deorſum in motu ignis. Dextrum, & ſiniſtrum, conueniunt cœlo, ratione principij motus: Sic Plato in Epinomide Orientem, dextrum; Occidentem, ſiniſtrum appellat; imitatus in hoc Pythagorã, & Homerum: quod dextrum, & ſiniſtrum; vt cœlo, ita elementis ſub eo poſitis conuenit: quoniam cuncta per naturam mouentur in orbem; ſurſum, deorſum, anterius, & poſterius, ſolùm ſimilitudine aliqua conueniunt cœlo, non propriè. Ideo iure Pythagoras, & poſt eum Plato, in cœlo dextrum, & ſiniſtrum

poſue

poſuerunt, nulla de aliis differẽtiis facta mentione: nam cœlum ſolùm mouetur in orbem, propterea in eo ſolùm propriè conſideratur initium motus: quod dextrum nuncupatur: in animalibus perfectis, & præſertim in homine, omnes poſitionis differentiæ verè diſtinctæ inueniuntur, ob diuerſitatem figuræ, poſitionis, & facultatis membrorum. Sed hoc eſt dubium, vtrum in homine dextrum à ſiniſtro natura, vel potiùs ſola aſſuetudine diſtincta ſint. Plato in ſeptimo dialogo de Legibus ait, diſtinctionem dextri à ſiniſtro pẽdere ex praua aſſuetudine, & ex ignorantia nutricum: rem autem ita ſe habere ex eo cõſtat, quoniam per conuenientem aſſuetudinem homo euadit ambidexter; & nõnulli rectiùs læua, quàm dextra manu vtuntur.

*In quibus Plato ab Ariſtotele reprehendatur.*

CAP. XIIII.

IN tribus Plato ab Ariſtotele carpitur; & in tribus inter eos, vt ad præſentem conſiderationem pertinet, lis eſſe videtur. Primò, quia Plato in vniuerſo negat ſurſum, & deorſum reperiri; ſed medium, & circunferentiam. Secundò, quia Plato in cœlo ponit dextrum, & ſiniſtrũ, nulla facta de aliis differentiis mentione; qua de re Ariſt. in ſecundo de cœlo eum carpit aſſerens, erraſſe Pythagoram, & conſequenter Platonem, qui eũ ſequutus eſt; cùm in cœlo ſolùm poſuerint dextrum, & ſiniſtrum, quæ ex diffe-

rentiis poſtremæ ſunt, & alias præcedentes in eo non manifeſtauerint. Tertiò, diſſentit Ariſtoteles à Platone: quia Plato in hòmine dextrum, & ſiniſtrum dixit, non diſtingui natura; ſed praua aſſuetudine; Ariſt. verò, & in 5. Eth. cap. 7. & in tertio de partibus animalium aſſerit, dextrum à ſiniſtro diſtingui natura. De his diſſenſionibus agens, vt pertinet ad primam, dico; litem præſertim pendere ex diuerſa conſideratione, diuerſaque ſententia de naturali motu elementorum. Plato reſpiciens ad mundi rotunditatem, ac inſuper exiſtimans elementa moueri in orbem; debuit, & ratione figuræ, & ratione motus, ſolùm cõſiderare medium, & circunferentiam: Ariſtot. ſolùm reſpiciens ad motum elementorum, & aſſerens elementa moueri motu recto; debuit longitudinem, & ſurſum, atq; deorſum ſtatuere: & propterea lis pendet ex diuerſa conſideratione, & ex varia ſententia de motu elemẽtorum: propterea non in ſolis verbis eſt poſita, vt cenſuit Simplicius. Inſuper, pendet ex varia acceptione grauitatis: Plato enim grauedinem nuncupauit propenſionem in ſuum locum; ideo ratione etiam reditus elementorũ in ſuam naturam, & medium, & circunferentia poteſt dici deorſum: id enim, ad quod graue per naturam tendit, deorſum dicitur. De altera controuerſia, quia Plato in cœlo poſuit ſolum dextrum, & ſiniſtrum: Reſpondeo, iure hoc facere. Primò; quia Pythagoras conſiderauit dextrum,

&

& ſiniſtrũ, tanquam principia contrarietatũ: quatenus dextrum denotat bonũ, virtutem, & formam; ſiniſtrum verò malum, diminutionem, & priuationẽ quandã: ideo Pythagoras numerauit dextrũ, & ſiniſtrum inter primas decem rerum contrarietates; ad quas cæteræ modo aliquo rediguntur. Inſuper nouerunt, in cœlo ſolùm reperiri motum in loco: vt pertinet ad motum in loco, ſolùm conſideratur dextrum, quod eſt principium motus; & ſiniſtrum, eius oppoſitum. Ad inſtantiam Ariſtot. quia poſterius prẹſupponit id, quod eſt prius: reſpondeo, id eſſe verũ de mortalibus, in quibus non reperitur poſterius generatione ſine priore; de cœlo ſecus ſe habet: in cœlo enim; ſine mutatione, quæ indicat partẽ ſurſum; & ſine inſtrumentis ſenſuum, quæ formant partem anteriorẽ, vt confitetur Ariſt. in 2. de Cœlo; reperitur anima mouens cœlum in orbem. Præterea; quamuis dextrum, & ſiniſtrum in mortalibus, ordine originis, poſtrema ſint: attamen abſolutè conſiderata, vt denotant bonum, & malũ, ſunt prima; & inter primas contrarietates numerãtur, ad quas cẹterẹ illius ordinis rediguntur. Præterea, rectè ſenſiſſe Plat. ex eo conſtat; quia etiam Ariſt. in cœlo primò conſiderat dextrum, & ſiniſtrum, reſpiciendo ad principium motus: qua differentia conſtituta, in ordine ad eam ſtatuit alias. Ex quo patet, ſolùm in cœlo propriè reperiri dextrũ, & ſiniſtrũ; cæteras verò in ordine ad hanc, & per

quandam ſimilitudinem cum mortalibus animalibus: adeò, vt re vera lis ſit in verbis; Plato tamen rectiùs ſit loquutus. De poſtrema differentia dico, rectè ſentire & Platoné, & Ariſt. ſolumq; differre in verbis: Nã ambo nouerunt dextrum à ſiniſtro in animalibus per naturam modo aliquo diſtingui: Nouerunt inſuper, quòd, quamuis à natura habeant principium diſtinctionis; tamen per aſſuetudinem pars ſiniſtra poteſt reddi aptior, & robuſtior ad motum, & operationes. hoc nedum dixit Plato, verùm etiam affirmauit Ariſt. 31. par. probl. 12. inquiens; Pars dextra exercitatione aſſueſcere, & in meliorem frugem euadere videtur; effici nanque vtrinq; dextri, per aſſuetudinem poſſumus. Colligo itaque eos hac de re non diſſentire: nam Plato, vt ciuilis, reſpiciens ad vtilitatem ciuitatis, & ad militum vſum; nos hortari voluit, & debuit; vt aſſuetudine redderemur ambidextri, ac pro facultate aptiſsimi ad cuſtodiam, & ſalutẽ patrię. Inſuper, non dixit abſolutè, dextrũ non diſtingui à ſiniſtro: ſed addit, ferè, inquiens; Nã cùm natura ferè ad vtramq; partẽ æquè ſe habeat, ipſi per conſuetudinem non rectè vtentes, differentiã facimus, &c. Ita nanq; loquutus eſt, vt indicaret: quòd quãuis per naturã adſit aliqua differentia, nos tamẽ per aſſuetudinẽ valemus ſiniſtrã reddere aptiorem; vt per artem ſępe naturam corrigimus, & ſuperamus: quod etiam nouit, & affirmauit Ariſtoteles.

STE-

# STEPHANI THEVPOLI,

## BENEDICTI F. PATRITII VENETI,

## ACADEMICARVM *Contemplationum,*

# LIBER IX.

## De gradv Mixtorvm.

### *De Mixtis inanimis.*

### Cap. I.

Qvamuis ea ſit vniuerſi fœcunditas, & plenitudo; vt in ſingulis corporibus omnia, modo aliquo inueniantur: attamen nonnulla corpora conſpiciuntur, quæ adeò accedunt ad naturã alicuius ſimplicis corporis; vt ſimplicia eſſe videantur, & nominentur; ex quibus deinde propriè, & verè mixta conſtituuntur. Iure profectò ex primis corporibus conſtituuntur mixta: nam ea, & communi ſubiecto, & contrariis qualitatibus prædita ſunt; propterea ex mutua actione, & perpeſſione in vnum redigi valent: hoc enim eſt mirabile in vniuerſo, quòd ex pugna, & lite pax,

ex multitudine vnio conſurgit; & cùm omnia ex vno pendeant, in vnum confluunt, & conſpirant. Hanc mixtionis conuenientem rationem paucis quidem, at exactiſsimè explicauit Plato in Timæo, inquiens; Nõ ceſſant elementa agitari; quouſque expugnata, in vnũ quiddam ex multis ſuperanti ſimile tandem euadant, familiariterq; cum victore permaneant. Quibus verbis, præter cætera, hoc quoq; manifeſtauit; Mixtum omni ex parte ęquale non dari, ſed vnum ſemper cæteris dominari: qua de re Ariſt. cum eo libentiſsimè conuenit; Galenus verò magis diſſentire videtur. Veruntamen cenſeo Platonem ad id, quod euenit, vt plurimùm, reſpexiſſe; & ad præcipua mixta: non enim principiis, & fundamentis Platonis aduerſatur, dari mixtum exactè ęquale; niſi in omni, ſaltem in oppoſitione. Inter mixta dantur nonnulla, quę potiùs elemẽta aliquid paſſa, quàm verè mixta nuncupari merentur; vt Nubes, Caligines; Grando, cui in terra reſpondet Glacies; Nix, cui reſpõdet Pruina; Pluuia, cui reſpõdet Ros. Ariſt. in 1. Meteor. cap. 11. inquit, grãdini in ſublimi genitæ, prope nos nil reſpõdere; Plato dixit ei reſpondere Glaciẽ: at nõ ob id diſſentiunt; quoniã Ariſt. cõſiderauit generationes ex nubibus in aere factas; Plato verò conſiderauit naturas, & conditiones rerum abſolutè: in prima conſideratione rectè dixit Ariſtoteles, in altera rectè Plato. Quamuis enim apud nos detur glacies, naturę grandinis

dinis reſpondens: vt dixit Plato: non tamen glacies ea producitur ex aqua, & ibi, & tunc ex nube genita: ad quod reſpexit Ariſtoteles. Metalla ſunt fuſiles aquæ; quatenus ex aqueo vapore ducunt ortum, & fundi poſſunt: hæc ſunt exactiùs mixta, quàm niues, & grãdines; Foſsilia magis ad terræ naturam, & conditiones accedunt, magisque cum terra ſunt complicata; & eatenus viuunt, quatenus terræ iuncta ſunt. Mixta perfecta, mixtorumque ex vna in aliam naturam permutationes, ab homine per artẽ fieri nequeũt; ſed à ſola natura. Propterea cum Plat. inaniter eos laborare exiſtimo, qui per ſublimationes aurum, & argentum ſe poſſe conficere ſperãt: deludũtur profectò externa quadam auri, vel argenti imagine; verùm eſſentiam attingere nõ valent. Nec propterea inanis penitus eſt ars ea, quę Alchimia dicitur; ſed eatenus eſt approbanda, quatenus ope naturalis Magiæ quodam tenus ei datum eſt aſcendere: qua de re Ariſtoteles à Platone minimè diſſentit.

## De Plantis.

## CAP. II.

PRo mundi integritate, & ornamento; pro animalium vſu, & præſertim hominis; varia herbarum, arbuſtorũ, & arborum genera producta ſunt; ex eis enim alimẽtum deſumimus, quod omniũ alimẽntorum maximè eſt naturale; & pro-

ptereà etiam eo ſolo vitæ gradu plantæ ſunt præditæ, cui nutritionis munus eſt demandatum; vt indicaretur, eas nutritioni eſſe deſtinatas. Nō conueniunt Platonici in hoc explicando; vtrum plantæ propria vita, diſtinctaque anima ſint præditæ; vel potiùs viuant per animam terrę. Plotinus, & multi cum eo, hanc ſecundam partem approbarunt; eo præſertim ſigno perſuaſi, quia plantæ euulſæ à terra non viuunt. Veriorem tamen cēſeo partem alterā; & magis ad mentē Platonis: nam Plato in Timæo inquit, plantas eſſe participes tertiæ animæ ſpeciei, ſcilicet nutrientis; & animalia nūcupari: at profectò animalia ab eo non dicerentur, ſi ſolùm viuerent per vitam alterius; non enim partes animalis dicuntur animalia, & longè minùs excremēta eius. Accedit, quòd non tòt plantarum inuenirētur ſpecies, ſi per eandem animam viuerent; neque etiam proprium deberent emittere ſemen, ſi propria vita eſſent deſtitutæ; & ſi etiam ſemen emitterent, non diuerſum deberent producere, ſi omnium plantarum eadem eſſet anima. Dicamus itaque plantās viuere per animam propriam nutrientem. Deſtitutæ profectò ſunt plantæ opinione, ratione, & mente; Et qui cū Democrito, & Anaxagora, eis eſſe prędiτas affirmant; ſemetipſos oſtendunt mente, & ratione eſſe deſtitutos: Niſi velint plantas in eo ſenſu mente eſſe præditas, in quo Plotinus Ennead. 3. declarauit contemplationē per omnia

meare

meare,omnibuſque rerum gradibus conueni re.De ſenſu inquit Plato, Plantas eſſe eius aliqua ex parte compotes; nam præditæ dicuntur ſenſu ſuauis, & triſtis, ac vnà cupiditatibus: Inſuper, etiam ſemina à Platone dicuntur anima prædita, & conſequenter dici poſſunt animalia: omne enim anima præditum, aſſerit eſſe animal. Ariſtot. in tribus videtur à Platone diſſentire: primò, quia plantas negat eſſe animalia, Plato affirmat: ſecũdò, quia negat plantas eſſe præditas ſenſu, & cupiditate: demum, quia ſemina non cenſet eſſe animata.

De prima lite putandum cenſeo, eam in verbis eſſe poſitam; quia Plato omne præditum anima, nuncupat animal: Ariſtoteles verò, nõ omne anima præditũ; ſed id ſolùm, quod conſpicuo aliquo vitæ gradu donatum eſt, nuncupat animal; adeò, vt ad minus includat ſenſum tactus. Sequutus eſt Ariſtoteles magis communem loquendi vſum: Plato verò, eo neglecto, rationem ſolam ſectatur. De ſecunda differentia pariter dicendum cenſeo, litem eſſe in verbis; nam Plato latè vtitur nomine ſenſus, & cupiditatis: propterea, dum aſſerit, plantas eſſe prçditas ſenſu ſuauis, & triſtis; cẽſeo denotaſſe, nõ ſenſum iudicij, & cogitationis; ſed ſenſum, ſiue potiùs naturalem conſenſum; per quem hauriunt alimentum ſibi conueniens; deferunt, quod ſibi aduerſum eſt: inſuper, à conſimilibus qualitatibus rectè diſponuntur, ab aduerſis læduntur; ratione quorũ,

cupiditate quadam naturali dicuntur prædi-tæ. Quòd autem hæc fuerit Platonis ſententia, ex eo colligo, quoniam in eadem Timæi parte de Plãtis loquens, inquit; Quod autem nunc dicimus, tertiæ animæ ſpeciei eſt particeps, quam inter diaphragma, & vmbilicum locauimus, &c. Ex quo patet, ſolam nutriendi facultatem eis verè tribuere, non autem propriè ſumptum ſenſum; ſed ſolùm conſenſionem, & diſſenſionem quãdam naturalem. Sic in ſubſequẽtibus verbis ſolùm perpeſsionem eis tribuit; non autem cognitionem, & iudicium: qua de re Plato verba faciens, præſertim imitatus eſt modum loquendi Pythagoræ; & propterea in perſona Timæi Pythagorici eam ſententiam profert. De poſtrema differentia cenſeo, re vera eos magis diſſentire: Nam Ariſtot. ſemina non cenſet actu animata, cùm nõ ſint corpora inſtrumentaria: Plato verò, qui animam magis in quouis corpore ſeruari cenſuit; & medullã aſſeruit eſſe campum, in quo anima ſereretur; ac inſuper genituram nuncupauit medullam; magis aſſerere potuit, & debuit, ſemen eſſe animatum; adeò, vt non in ſolis verbis ſit lis. Et iure Plato ſtatuere videtur ſemina animata, cùm conſpiciamus ea frequenter ex ſe emittere germen, & per ſolam cum terra coniunctionem incipere nutriri; quod non facerent, niſi animam includerent. Viuunt itaque ſemina, ſed vitam poſtremam; vita autem ſine anima non reperitur: Dicuntur

tur tamen animam includere poteſtate; quatenus nō includunt illam cum poſtrema perfectione, cum partium corporis diſtinctione, & cum actu ſecundo; vt conuenit plantis. Inſuper, eis conuenit ſola vis, quæ formare debet corpus, eoque formato mox vti; nō autem ea, quæ ex illa conſurgit, & actu format.

*De Animalibus ratione carentibus.*

## CAP. III.

IVmenta, & feræ, quæ infra hominem, & ſupra plantas collocantur; etiam in facultatum animæ participatione mediæ ſunt: in eis enim, vltra virtutem nutriendi communem plantis, etiam vis ſentiendi reperitur; altera ex parte, ratione homini conueniente ſunt deſtitutæ. Inſuper; quoniam vis ſentiendi, latitudine prædita eſt; propterea per diuerſas ſuæ latitudinis partes, diuerſis animalium gradibus conuenit: inde conſurgunt tot animalium formæ, tam variæ eorum naturæ, tam diſtinctæque perfectiones. Hinc clarior eorum elucescit error; qui ferarum, iumentorumq; animas eiuſdem eſſe rationis exiſtimarunt cum animis hominum: manifeſtè enim Plato diſtinctas ponit animarum ideas; manifeſtiſsimè affirmat mundum eſſe plenitudinem omnium graduum, vniuerſæque latitudinis rerum: nō autem eſſet plenitudo, niſi etiam diſtantia inter plantas, & hominem, quæ lata eſt, fuiſſet

cumulatiſsimè omni media formarum varietate referta: carent opinione, ratione, & mente animalia cuncta, infra hominem collocata: niſi eiuſmodi vocibus minùs propriè vti velimus: nam caput in eis ſentiendi ſolùm munera explet; non autem opinandi, vel intelligendi. Neque propterea cum Stoicis exiſtimare debemus, iumenta carere vniuerſo perturbationum animi genere: immò maximè putandum eſt, eis eſſe obnoxia; cùm appetitiones ſenſuum in eis principatum obtineant, & maximè à cupiditate, iraſcendique facultate ducantur; quæ omnium perturbationum ſunt fontes. Hoc animalium genus, in ſola terra, aqua, & aere, locum habet; propriè tamen, & verè in ſola terra requieſcit. Hinc nullum datur animal rationis expers, quod in terra aliquando non requieſcat. Et quod dicitur de Auicula Dei, quæ ſemper degat in aere, fabula eſt: nam eiuſmodi auis, in præruptis altiſsimorum montium aliquãdo requieſcit; quamuis, vt plurimùm, degat in aere. In æthere, & igne: quia cæteris corporeis elementis præſtant, & modo eminentiori vitalia ſunt; ſolùm degunt animalia ratione prædita, & ea quidem liberiore, & celeriore. Inſuper, in terra, aqua, & aere, gigni poſſunt animalia ex putri; in æthere, & igne, nequaquam: ſuprema enim ea corpora, à putredinis labe ſunt immunia. Et quamuis Ariſt. in libro quinto de hiſtoria Animaliũ dicat; in Cypro inſula, in fornacibus ærariis,

vbi

vbi chalcites lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, beſtiolas in medio igne naſci pennatas, paulò muſcis grādioribus maiores; quæ per ignem ſaliant, atque ambulent: emoriq́ue hoc genus, & illud niuis alumnum; cùm alterum ab igne, alterum à niue dimotum ſit: Cùm, inquam, Ariſtot. hæc proferat, minimè propterea cenſeo, inter eum, & Platonem eſſe litem. Nam vel Ariſt. id dixit ex aliorum relatione, quam in ſecundo de Gen. animalium cap. 3. non approbauit: inquit enim; Quamobrem ignis nullum animal generat, &c. Nam varia profert Ariſt. in libris de hiſtoria, quæ in aliis non approbat; vt etiam de Pygmæis ſentiendum cenſeo. Accedit, quòd ſi beſtiolæ illæ in igne genitæ concederentur, vt à nonnullis Cypriis fide dignis approbari audiui: dicendum eſſet, nō ex igne fieri; ſed ex humoribus, vel ex terra, vel ex chalcite prodeuntibus excalefactis, conuenientiq́; temperamento præditis. Non itaque cenſeo, hac de re Platonem, & Ariſtotelē diſſentire; ſed potiùs diſſentiunt, loquendo de modo generationis animalium ex putri; quæ gigni cenſent Platonici, virtute animæ mundi; vel eius elementi, in quo gignuntur: quod minimè aſſeritur ab Ariſtotele; qui nec animam mundi, nec elementorum dari exiſtimauit. Demum loquendo de huiuſmodi animalibus rationis expertibus; & perpendendo, quid ea ſint, ex ſententia Platonis: quoniam eorum anima à corpore pendet, in

materiæ vndis merſa eſt, penituſq; eſt inſtrumentaria; iure animal; non rectè dicitur anima corpore vtens, vt de homine dicere Plato conſueuit; ſed animal eſt conflatum ex anima, & corpore, vt in Epinomide Plato aſſeruit: adeò, quòd primum animal eſt idea; alterum verò eſt aggregatum ex corpore, & anima: non enim eorum anima, libera eſt à corpore, quæ mox corpore vtatur; vt ea hominis. Quòd ſi etiam de iumentis, & feris ſeruare volumus, quod anima ſint; id in alia ſignificatione accipi debet, quàm dum de homine loquimur; nam eatenus eſt verum, quatenùs vnumquodq; per formam eſt id, quod eſt: & ideo in iumentis quoque, & feris conſideratur triplex gradus: datur enim leo pro idea, leo pro imitatione ideæ, demum leo corporeus: Ariſtoteles, reiecto primo, hos duos poſtremos concedit.

*De Homine, an ſit ſola anima, vel aggregatum ex anima, & corpore, opiniones variæ.*

## CAP. IIII.

Quemadmodum Lux tenebris, Æternum mortalibus, Dominus ſeruis preeſt; ita ferarum, iumentorumque gregi, præſtat Homo: & iure quidem; cùm ſolus mentis, & rationis ſit particeps; ſolus religionis, diuiniquecultus ſplendore refulgeat. De quo inter cætera, quæ præclara conſideratione digna nobis occurrunt, hoc prin-

principatum obtinet; An Homo ſit ſola anima, vel potiùs aggregatum ex anima, & corpore: Et iure profectò: nam ex hoc patebit, quid verè ſit homo; conſtabit, quomodo parendum ſit Apollini præcipienti, TE IPSVM NOSCE; & demum conſtabit, quæ hominis ſint conditiones, quæ ſint Hominis propria, & quæ aliena ab eo. Quæ conſideratio, vt eſt præclara, ita eſt ardua; variæ enim de ea fuère philoſophorum ſententiæ. Nonnulli ſupra corpus nihil excogitantes, hominem eſſe ſolum corpus credidere: alij altiùs eleuati, incorporeamque animam cognoſcentes; hominem eſſe aggregatum ex corpore, & anima exiſtimarunt: nonnulli demum putarunt, hominem eſſe animam rationalem. Primæ opinionis fuerunt illi, qui materiam, & corpus eſſe vniuerſam rei ſubſtãtiam exiſtimarunt: quorum opinio cumulatè ſatis, primò à Pythagora, mox à Platone, demum ab Ariſt. reiecta fuit. Secundæ opinionis ſunt Peripatetici, qui hominem eſſe animal mortale exiſtimant; quod ſine carnibus, & oſsibus eſſe non poteſt. Et iure videtur homo eſſe id compoſitum: quoniam in his, quæ ſubeunt rationem partis, nulla pars dicitur de toto; non enim domus eſt lapides, neque figura, ſed aggregatum ex vtriſque: ita homo, non rectè dicitur anima, non carnes, & oſſa; ſed compoſitum ex vtriſque. Sic compoſiti, non autem ſolius animæ, dicuntur eſſe humanæ

operationes: non enim anima ratiocinatur, & videt; ſed homo per animam: pariter proprietates hominis, non animæ ſoli, ſed compoſito conueniunt; vt facilitas ad ridendum. Tertiæ opinionis fuit Plato: qui, cùm alibi, tum præſertim in Alcibiade primo aſſeruit, hominem eſſe ſolam animam; ex eo, quia inſtrumentum non eſt pars opificis; homo dicitur opifex; corpus eſt inſtrumentum eius; nō itaque corpus eſt pars hominis. Prætereà, homo eſt, qui imperat, & dominatur; at ſola anima imperat, corpus verò inſeruit. Prætereà, cùm anima rationalis ſit huius conditionis, vt ſeorſum ab hoc craſſo corpore ſeruetur incolumis; iure videtur eſſe quid totum, integrum, & perfectum in ſpecie; cuius totius corpus nō ſit pars, ſed solùm inſtrumētum, & vehiculum quoddam. Ex his ſequitur, vario modo à Peripatetico, & à Platonico definiri hominem: inquit Peripateticus; Homo eſt animal rationis particeps: ait Plato; Homo eſt anima rationalis, mentis particeps, corpore vtens. Quid itaque in huiuſmodi controuerſia dicendum eſt?

*Solutio difficultatis.*

CAP. V.

PRo reſolutione propoſitę difficultatis, conſiderādum primò; quòd secùs ſe habet de his, quæ includūt animam rationalem; secùs de aliis, ex mortali forma conſtantibus. Quæ conſtāt

ex

ex forma mortali, profectò non ſola forma, ſed aggregatum eſſe dicuntur; ideo inquit Plato in Epinomide; Veriſsimè animal, ſecundùm naturam tunc eſſe affirmamus; cum vna animæ, corporisque conſtitutio, vnam ſuo concurſu formam parit; &c. Et ratio eſt; quoniam mortalis forma non eſt quid perfectum, & integrum, ex ſe valens ſubſiſtere; ideo Plato animal ex anima, & corpore cenſet eſſe conſtitutum, & de hoc non eſt lis cum Peripateticis. At de conſtantibus ex corpore, & anima rationali, ſecùs ſe habet: anima enim rationalis cùm ſit æterna, eſt quid totùm, & integrum, valens ſeorſum à craſſo corpore ſubſiſtere. Inſuper, cùm ſit æterna, non propriè eſt altera pars compoſiti, contradiſtincta à parte alia mortali; quia ex mortali, & æterno non propriè fit vnum, cùm ſint alterius generis. Accedit, quòd ſi homo eſſet compoſitum ex anima, & corpore; quia corpus continenter variatur, & fluit; continenter etiam permutaretur homo; neque idem homo, qui peccat, mox apud inferos pœnas daret; nec idem, qui cum probitate vitam traducit, mox vita functus bearetur: ſic itaque ob animæ immortalitatem, homo, non compoſitũ, ſed ſola anima eſſe videtur. Inſuper, conſiderandum eſt, ob diuerſitatem mentis, animæ, & naturæ, triplicem poſſe conſiderari hominem: datur enim homo mentalis, ſiue intelligibilis; & hic eſt idea hominis; datur homo animarius; &

hic eſt anima rationalis: demum datur homo naturalis, & quia natura verſatur circa corpora, ideo hic poſtremus homo corporeus eſt. Primus eſt ipſe homo, ſecundus eſt homo, tertius eſt imago hominis. Hanc diſtinctionem optimè nouit Plotinus Enneade 6. lib. 7. cap. 5. Tertium, & corporeum hominem declarauit Plato in Phædone inquiens: Aliud ne quid nos ipſi ſumus, quàm partim corpus, partim anima? Nihil aliud, inquit. Ex his colligitur conſpicua reſolutio difficultatis, ex ſententia Platonis: nam primus homo eſt aliquid ſupra animam; ſecundus eſt ſola anima; tertius eſt conflatus ex anima, & corpore. At perpendamus, num Ariſtoteles cum Platone debeat conciliari? Aſſero, id omnino fieri non poſſe, Primò; quoniam ſi reſpicimus ad primũ fundamentum ex eo ſumptum, quia anima rationalis poſsit ſeruari ſeorſum à corpore inſtrumentario; hoc non conceditur ab Ariſtot. qui, quamuis nouerit animam immortalem; attamen cenſet, abſolutè eam eſſe actum inſtrumentarij corporis, nec poſſe ſubſiſtere ſine eo, vt in ſecundo de anima cont. 26. lucidiſsimè aſſeruit. Mox, ſi conſideramus ſecundum fundamentum, Ariſtoteles non approbat trimembrem hominis diſtinctionem: quoniam hominem Idealem non concedit. Demum per ſua fundamenta non ita poteſt dicere, hominem eſſe animam rationalem, corpore vtentem, vt ait Plato: quoniam Plato conſiderat

diſtin-

diſtinctionem inter facultatem vtentem, & formantem; quam non ponit Ariſtoteles: conſiderat enim Plato animam rationalem vtentem; mox quaſi idolum, & imaginem ab ea fluentem, corpusque formantem; & ſic vtens diſtinguitur ab eo, quo vtitur, vt aſſerit in Alcibiade primo. At Ariſtot. vtentem à formante, ſiue animam ab eius idolo non diſtinguit. Quare colligo, eos in fundamentis diſſentire; propterea rectè conciliari non poſſe. Aſſero tamen cum Ariſtotele, in alia conſideratione hominem poſſe dici, & ſolam animam, & aggregatum. Nomina enim duo ſignificant, primò ſignificant formam, ſecũdò compoſitum; vt aſſeritur ab Ariſtotele 8. Metaph. cont. 7. & frequẽter ab Auer. in 4. Metaph. 14. in Paraph. Metaph. ſecundo, & alibi explicatur. Propterea ex ſententia Ariſtotelis, homo pro primo ſignificato, eſt ſola forma; pro ſecundo, eſt aggregatum. Concederet itaque Ariſtoteles, hominem eſſe & ſolam animam, & compoſitum: ſed per diuerſa fundamenta; & longè ſecùs, quàm Plato. Hinc Ariſtoteles cenſet, hoc eſſe verum de omni nomine concreto; quòd primò ſignificet formam, mox compoſitum: Plato verò cenſet, hoc eſſe quid proprium animæ rationalis, vt homo dici poſſit, ob cauſſam ſuprà relatam. Et quoniam Anima rationalis conuenit, nedum homini; verùm etiam mundo, cœlis, & Dęmonibus, ex ſententia Platonis; propterea de his omnibus eadem

eſt ratio: in omnibus enim valemus conſiderare tres illos gradus in homine explicatos: immò de omnibus eſt vera ea definitio, quæ à nonnullis iudicatur hominis propria; dum dicitur, quòd ſit anima rationalis, mentis particeps, corpore vtens. Hæc tamen eſt differentia, quòd eminętiores animæ, magis ſunt participes mentis; minùs verò, & minùs propriè vtuntur corpore; anima hominis è contra, minùs eſt mentis particeps, magis vtitur miniſterio corporis; cùm ſola ſit prædita corpore inſtrumentario; ideò abſolutè ea dicitur definitio hominis. At ſi omnium vellemus diſtinctas tradere definitiones; & gradus participationis ideę & mentis, & proprium earum corpus in ſingulis definitionibus eſſet explicandum: vt Homo eſt anima, obſcuræ rationis particeps, mentis compos, corpore inſtrumentario vtens: Mundus eſt anima rationalis, maximè pura, primò mentis particeps, vniuerſi corpore vtens: Dæmon eſt anima rationalis, media quadam conditione prædita, mentis particeps, tenui corpore vtens; & ita de ſingulis.

*Hominem eſſe monſtrum, & ludum Deorum.*

## Cap. VI.

QVoniam ex declaratis in præcedentibus ſatis manifeſtè patet, hominẽ eſſe triplicem: ideo nunc eis, vt iam conſpicuis vtens, & alia ad humanã condi-

conditionem pertinentia perquirens; aſſero verum, ſincerumque hominem, illum eſſe: qui in mente regnat, idealiſque nuncupatur: ſecundum hominem ſtatuo animá rationalem: tertium, & quaſi imaginem hominis: aggregatum ex anima, & corpore. Primus, eſt homo idealis, ſecũdus, rationalis; tertius ſenſitiuus: Primus in æternitate eſt collocatus, ſupra tẽpus; ſecundus in termino æternitatis, & temporis; poſtremus in ſolo tempore: Primus eſt ingenitus, tertius eſt genitus, medius medio modo ſe habet. Homo iure merito à Platone in 9. de R.P. eſſe dicitur admirabile monſtrũ, conſtás primò ex variis animalium capitibus, mox ex leone, demum ex humana forma, quæ minima omnium ſit. Quæ ſententia ſolùm de tertio homine vera eſt: in quo latiſsima eſt prima diuerſorum animalium portio, concupiſcentiam, & nutritionem præſeferens: minor, ea leonis: quæ in facultate iraſcendi poſita honoris cuſtodem indicat: minima demum eſt ea hominis, rationem, & mentem denotans. Ex quibus tribus, veluti partib9, ad varia propenſis, tria præcipua conſurgunt humanæ vitæ genera; voluptarium, videlicet, iracũdum, & ſtudioſum. Inſuper, homo in primo de Legibus dicitur vel ioco, vel ſerio factus. Inquit doctiſsimus Ficinus, hominem ioco eſſe factũ; ſi anima ſemper à cœleſtibus ad terrena, atq; viciſsim, quaſi ludendo tranſmigrans, nunquá immutabili apud Deum ſede requieſcat:

factus verò ſtudio, ſi modò penes effectorem Deum animus quandoq; ſit immobiliter permanſurus. Hæc explicatio ſatis manifeſtè videtur aduerſari Platoni in ſeptimo dialogo de Legibus: vbi de hac eadem re loquens inquit; Hominem Dei ludo eſſe fictum, atque id verè ipſius optimum eſſe, &c. Ait Plato, homini optimum eſſe, vt ſit fictus Dei ludo: quod minimè verum eſſet, ſi ludus ſolam denotaret miſeram hominis conditionē. Ex quo etiam conſtat, minùs rectè ab eodem Ficino in eodem loco aliam ſententiam prolatam fuiſſe: nam cùm Plato aſſerat hominem, ſiue ioco, ſiue ſeriò (non enim id nouimus) à ſuperis conſtitutum, inquit Ficinus; Vtram verò diſiunctionis huius partem eligere debeamus, affirmare hîc Plato non audet; probabile tamen habet, vt hìc, alibique ſignificat; hominē ſtudio quodam potiùs, quàm ludo fuiſſe diuinitùs conſtitutum, &c. Cui ſententiæ manifeſtiſsimè aduerſantur verba Platonis in ſeptimo dialogo; vbi non ampliùs cum diſiunctione, ſed abſolutè aſſerit, hominem Dei ludo eſſe fictum: & aſſerit, ſe in præcedentibus idipſum protuliſſe; denotans primum librum de Legibus. Dicamus itaque hominem eſſe triplicem; & de omni, manifeſtiſsimè tamen de poſtremo, verum eſſe, quòd ſit ludus Deorum: nam quid aliud eſt ludus, niſi quædam imitatio cum degeneratione, & receſſu ab eo, cuius eſt imitatio? Si conſideramus hominem idealem, ille

eſt

eſt quædam imago Dei, ob quam homo dicitur deinde factus ad imaginem Dei; & eſt imago cum maxima degeneratione, & receſſu; ideò iure eſt ludus. Si conſideramus hominem rationalem; ipſe eſt imitatio ideæ, & degeneratio ab ea; propterea ludus eſt. Tertiùs homo, cùm ſit vmbra potiùs, quàm verè homo, manifeſtiſsimè ludus iudicari meretur. Et in hoc eſt collocata hominis perfectio, vt ſit ludus, imago, vmbra, & quaſi ſimia Dei; quæ ita Deum æmulatur, vt ſimia hominem. Hanc explicationem manifeſtè approbauit Plato in Hippia, inquiens; Nonne Heraclitus, quem tu in teſtimonium adduxiſti, hoc idem tradit; hominem, ſcilicet, ſapientiſsimum, ad Deum ſimiam apparere; quo ad ſapientiam, & formā, & alia omnia? Accedit, quòd cum Plato in primo de Legibus cum diſiunctione loquatur, inquiens; Hominem, vel ioco, vel ſeriò factum eſſe; Vtrunq; varia conſideratione verum eſt. Homo enim ad duo referri poteſt; ad ſupera, & infera: dum refertur ad ſupera; ludus eſt, imitatio, vmbra, & degeneratio: dum verò refertur ad infera; ſeriò eſt factus, quoniam eminet omnibus; & ſolus eſt mentis, diuinitatis, & eius, quod verè eſt, particeps. Hinc Plato in primo dialogo, dum loquitur cum diſtinctione; non refert hominem ad ſola ſupera, ſed abſolutè eum conſiderat: in ſeptimo autem dialogo, dum inquit eſſe ludum, comparat illum cum Deo. Hanc Dei in homine imitationem

expreſsit Græcus ille ſophiſta: qui interrogatus, quid ſit Deus, immortalis homo; quid ſit homo, mortalis Deus, reſpondit. Inſuper, nuncupatur homo Mundanus ciuis; & hoc non iumentis, & feris, ſed ſoli homini conuenit: ſolus enim homo ſub Dei imperio, ex mortalibus animalibus meretur ciuis nũcupari; quoniam ſolus eſt rationis particeps; ſolus eſt natus dominari, præeſſe, & ciuium munera obire. Præterea, nuncupatur homo à ter Maximo Mercurio, quem imitatur Plato in primo de Legibus, diuinum miraculum; & iure quidẽ; nil enim eo admirabilius apud nos excogitari poteſt. Ipſe enim eſt, veluti vniuerſi mundi Epilogus; in quo omnia breuiſsimè ſunt perſtricta, & conformata: eſt Magni mundi nexus, & hymenæus; in quo diuina cum terrenis iuncta ſunt: eſt in hoc Terræ Theatro, veluti ſtatua Dei, formata ad eius imaginem. Inſuper, cùm ſit actu nihil; eſt omnia poteſtate, & virtute: cùm ſit natura impotentiſsimus; arte, & ſtudio, omnium euadit potentiſsimus: cùm ſit corpore mortalis; eſt animo æternus: cùm in ſpecu vmbrarum ſit collocatus; ad atrium lucis, & verè entis euolare natus eſt: Demum cùm vnus, & ſimplex appareat; attamen, Prothei more, formam omnem recipere, omnemque vitam viuere valet. Quibus de Rebus Ariſtoteles à Platone minimè diſſentit.

*De præcipua Hominis proprietate.*

CAP. VII.

HActenus à primo rerum principio vſque ad poſtremum omnia luſtrauimus; cumulatè vidimus, quomodo à primo opifice per conuenientia media vſque ad extrema, omnia effundantur: vidimus hominem in tenebris, & vmbra collocatum: Reliquum modò eſt conſiderare; quomodo ei vires, & facultates tributæ ſint; per quas valeat ex infimo ad ſummũ gradum extolli, ex tenebriſque ad lucem per animæ alas euolare. Procreationis munus, ſolius Dei eſt; munus verò conuerſionis, eſt hominis, nõ tamen ſine Dei auxilio. Deo minimè fuit procreatio difficilis; homini verò reditus in Deũ, apprimè arduus, & difficilis eſt. Sic facilis eſt deſcenſus; at reuocare gradus, hoc opus, & hic labor eſt. Vt homo ad hunc reditum excitaretur, maximeque aptus, & accommodatus ad eum eſſet; variis proprietatibus donatus fuit. Homo enim cùm ſit anima rationis particeps, rerum omnium rationibus decorata; in corpore tamen ſopita, quaſi ebria, ſuiquemet oblita: vt eſt anima rationis particeps; omnes ſcientias, & rerum formas actũ includit: vt ea cum corpore eſt iuncta, & ſopita; nullam habet actu, ſed eſt, vt liber inſcriptionibus carẽs: vt valet excitari, in ſe reuerti, & reminiſci; eſt nata fieri omnia. Hinc homo per rationem eſt diſciplinæ capax; & cùm diſciplinæ ſit capax,

eius maximè propria eſt admiratio: quæ eſt occaſio inquiſitionis veritatis; & cùm eius admiratio ſit propria, etiam aptitudo ad ridendū propria eſt, quæ admirationem expoſcit. Ariſtot. in procemio Metaphyſ. diſciplinam, non propriam hominis aſſerit, ſed communem etiam nonnullis iumentis, & feris. De hoc tamen lis nulla eſt inter eum, & Platonem: quia, dum aſſerimus diſciplinam eſſe propriam hominis; de præcipua, & propriè ſumpta loquimur, quæ rationem expoſcit: ea, quæ communis eſt etiam feris, eſt diſciplina ex ſola aſſuetudine, & memoria pendens. In hoc tamen Ariſt. verè à Platone diſſentit, nec conciliari poteſt; quia Ariſtot. intellectum, quem poteſtate appellat, vt omnia fieri valeat, omnibus intelligibilibus formis debere eſſe denudatum exiſtimat: Plato verò ſolùm aſſerit eſſe denudatum in reſpectu, & in parte; nō abſolutè: conciliari inquam non poſſunt; quoniam Ariſtot. neque ideas, neque rationes ideis reſpondentes concedit, vt alibi oſtenſum eſt.

## *De Gradibus in acquirenda ſcientia.*

## CAP. VIII.

QVoniam ex veritatis cognitione, in homine manat omne bonum, vniuerſaque eius perfectio; ac inſuper, quoniam modus acquirendæ ſcientiæ eſt difficilis cognitu; adeò, vt de eo ſummopere Ariſt. à Platone diſſentiat: propterea

ptereà latiùs,& cumulatiùs in eius explicatione verſari debemus. In ſcientiis, ac in earum acquiſitione, varij nobis occurrũt gradus; qui, diuerſa conſideratione, diuerſi ſunt. Primò enim ex ſententia Platonis in Epiſt. 7. hi quinque gradus conſiderantur, nomen, ratio, ſimulacrum, ſcientia, idea. Nomen quid ſit, ſatis conſtat: & per nomen, etiam verbum ſignificatur. Nomen, & à natura, & ab humana inſtitutione ducit ortum. In nomine enim duo cõſiderantur: primò, rectitudo, rectaque eius inſtitutio: ſecundò, eius impoſitio, ſub ea ratione, qua abſolutè ſignum eſt. Si ad primum reſpicimus, proculdubio rectitudo ex rei natura pendet; nomen enim debet naturæ rei reſpondere. Hinc munus ſapientis eſt, imponere nomen; hinc non omne nomen vnicuique rei rectè conuenit; hinc demum ducit ortum ratio ex etymologia deprompta, qua frequenter etiam vtitur Ariſt. Si verò nomen ſecundo modo conſideramus: quia id nõ à natura, ſed ab homine rebus eſt impoſitum; & eſt ſignũ, quod ab homine excogitatum eſt, pro denotandis, ac diſtinguendis rebus; quod etiam ſine rectitudine frequẽter res ſignificat; & multifariam, multiſque modis apud varias nationes variatur: ſic ad hominis libitum formari dicitur. Hac de re in ſolis verbis, non in ſententia lis eſt inter Platonem, & Ariſt. ambo enim concedunt, quæ dicta ſunt. Ideo Plato nonnũquam nomina ex rei natura aſſerit eſſe

deſumenda, vt in Cratilo, vbi rectam nominũ inſtitutionem conſiderat; nonnunquam verò ea nil firmi includere, in hominisque facultate eſſe poſita affirmat. Ariſt. autem aſſerens ea ex hominis impoſitione pendere, ad id reſpexit; quòd nomen ex eo ſolo recipit, vt ſit nomen, quia impoſitum eſt, & factum eſt ſignum pro re aliqua ſignificanda: at non propterea inficiatur, rectitudinem nominis ex rei natura eſſe deſumendam. Ex his patet, quomodo nomina ſignificent, & ſint, vt inſtrumenta artium; quemadmodum dixit Plato in Cratilo: & non ſignificent, vt inſtrumenta; quemadmodum dixit Ariſt. in lib. de interpretatione. Nam quatenus ſeruant rectitudinem, ex rei natura depromptam; ſe habent, perinde ac inſtrumenta artium: in quibus neceſſaria eſt rectitudo quædam, & conueniens figura; vt ſuũ opus abſoluere valeant. Ex aduerſo, non ſunt ſicut inſtrumenta; quatenus etiam ſine rectitudine impoſitionis funguntur ſuo munere: & ex eo ſolo, quòd facta ſunt ſigna; id habent, vt nomina ſint. De nominum facultatibus varia occurrerent dicenda; ſed, vt minùs inſtituto noſtro inſeruientia, prætermittuntur. Nomen itaque eſt id, quod in acquirenda cognitione nobis primò occurrit. Ei ſuccedit ratio, ſiue oratio, pluribus vocibus explicans nominis ſignificationem; vt circulus eſt figura plana, vna linea terminata, in cuius medio eſt pũctum, &c. Tertiò conſideratur ſimulacrum, & imita-

imitatio quædam in materia recepta: vt circulus pictus, vel torno factus, deletus, vel deſtructus: in quo conſideramus, quòd ille non eſt verus circulus: & quòd ipſe circulus nec deletur, nec deſtruitur, & exquiſitè circulus eſt. Ex qua animaduerſione, per excitationem à circuli imagine factam, & per rationem animę inſertam, in actum expromimus ingenitam circuli formam: ex qua vario modo ſe habente, conſurgit in nobis ſcientia, & vera opinio: quæ nunc ob vnitatem rationis vno nomine deſignantur, infrà verò cumulatiùs diſtinguētur. Poſtremò per huiuſmodi actum inſertæ rationis, dirigimur in Ideam in mente vigentem: in qua directione, & cum ea nexu poſita eſt propria intelligentia: quæ eſt abſolutio, & poſtremus terminus humanæ cognitionis. Ea tria, quæ primò numerata ſunt, non ſemper omnia neceſſariò nobis occurrunt; valemus enim, etiā ſine cognitione nominis, in cognitionem naturæ rei eleuari: poſtrema duo, neceſſaria ſunt pro ſcientiæ abſolutione. Prima tria, variis permutationibus ſunt obnoxia: quartum minùs: poſtremum verò minimè penitus. Prima tria potiùs verſantur circa quale, circa imaginem, & vmbram: quartum nos extollit ad veri participationem: quintum ad ipſum verum, reíque eſſentiam. In primis gradibus verſantur ferè omnes: in quarto pauci: in quinto, Dij quidē omnes, homines verò paucíſsimi; vt in Timæo aſſeritur. Quatuor

prima ſine quinto, cognoſcuntur quidem, ſed confusè; exactè autem innoteſcunt ex cognitione quinti, vt effectus ex cognitione cauſſæ. Quintum verò aſſequi nullo pacto valemus, niſi primò accuratè in reliquis verſati fuerimus: nos enim ex diuerſitate ad identitatem, ex multitudine ad vnum, ex vmbra ad eſſentiam, cogimur eleuari. Dum nos rerum cognitionem expetimus, & quærimus: ſi ſolùm earum ſimulacrum cognoſcere, vel explicare cupimus, in tertio gradu collocatum (quod faciunt multi) facile eſt aſſequi, quod cupimus: & multitudini cumulatè ſatisfacimus: & vera enunciare iudicamur: At dum ingenium aliquod verè Philoſophicum, quod ita rarũ eſt, vt rari ſunt corui albi, ad quintum aſpirat, & fœlici euentu illud attingit: quamuis ille contactus ſit omni cognitione clarior, firmior, & certior; attamen difficile eſt illum literis mandare, & aliis manifeſtare: vt de mundi opifice dixit Plato in Timæo, quòd difficile eſt illum inuenire; inuentum verò aliis manifeſtare, eſt impoſsibile: eadem enim ideæ, & opificis eſt ratio, cùm ideæ opifici conueniant. Et iure aliis manifeſtari non poteſt: Primò, quia deſunt verba exactè reſpondentia eſſentiæ rei, cùm ſint ſigna vmbrarum: Secundò, quia cum illis loquimur, qui in ſolis verſantur vmbris; & propterea ab eis carpimur, & digni reprehenſione iudicamur; cùm nõ videant illud quintum quadrare, exacteque reſpondere ſimula-

cris

eris in materia poſitis, quę ſola verè eſſe exiſtimant. Hinc quoque euenit, quòd frequenter non animus ſcribentis, vel loquentis redarguitur, ſed verba tantùm; vt contigit Platoni de Republica loquenti: ipſe enim Reipublicæ diuinam quandam ideam conſiderauit, quam rectè nouit inter homines reperiri non poſſe; carpitur autem ab aliis, ad ſola humana, & vmbras reſpicientibus. Hinc conſpicimus libros de Legibus libris de Republica nō omni ex parte reſpondere: nam Plato leges formaturus, humanas conditiones magis conſiderauit. Ariſt. in his re vera à Platone diſſentit; non enim ita nos eleuat, vt Plato. Ariſt. rerum imaginibus contentus, in eis requieuit, nec altiùs eleuatus eſt: Plato verò imagines deſpiciens, ad quintum gradū aſcendit; quem ſolum magnifecit. Ex quo euenit, quòd ab Ariſtotele non commendatur: & ſæpe verba, non eius ſententia reiicitur. Et quamuis Plato hæc omnia præuidens; ſua decreta, ſuamq; ſapientiam, vel potiùs idearum contactum, renuerit aliis manifeſtare; vt patet ex epiſtolis, & ex libris de Republica: attamen non adeò hoc præcauere valuit, vt etiam aliorum morſibus aliqua ex parte non ſe expoſuerit.

*Alia graduum cognitionis explicatio.* CAP. IX.

ET clariùs pertinentia ad internam animæ noſtræ cognitionem eluceſcant, alio ſumpto principio cum Platone in 6. & 7. de R.P. dicamus. In-

ternarum animæ noſtræ cognitionum, quatuor ſunt gradus; Imaginatio, ſiue Aſsimilatio; Fides; Cogitatio; & demum Scientia, ſiue Sapientia. Primi duo gradus ſimul iuncti, opinionem conſtituunt: Duo verò poſtremi pariter iuncti, pariunt intelligentiam latè ſumptam. Dico latè ſumptam; quia tribus modis apud Academicos vſurpatur intelligentię nomen. Primò, vt conſurgit ex opinione, & ſcientia; quemadmodum in ſeptimo de R.P. aſſerit Plato. Secũdò, vt in idem venit cum ſcientia: ſic in calce ſexti de R.P. intelligentiam cum ſcientia confudit. Demum, vt diſtinguitur à ſcientia, & intelligibile à ſcibili: ſic ſcientia eſſentiales animæ rationes reſpicit; intelligentia verò eleuat ad ideas, & hæc propriè intelligentia eſt. Diſtinctio horũ quatuor graduum præſertim pendet ex diſtinctione rerum, in quibus anima verſatur. Nam conſiderantur hi quatuor rerum gradus; imago rei ſenſibilis, res ſenſibilis, imago rei intelligibilis, & demũ ipſum intelligibile. Imaginatio, ſiue aſsimilatio, reſpicit imaginem rei ſenſibilis: quæ imago nil aliud eſt, niſi vmbra, vel ſimulacrum; quod in aquis, vel aliis corporibus lucidis, & terſis apparet. Fides verſatur in re ſenſibili: res ſenſibiles ſunt animalia, plantæ, & demum corpora, quæ apud nos ſenſu vſurpantur. Ex imaginatione, & fide opinio conſurgit. Cogitatio verſatur in imagine rei intelligibilis: quę imago nil aliud eſt, niſi vniuerſale quoddam

ex

ex ſenſibilibus collectum, ad rationes rerum in anima exiſtentes relatum, earumque ope conſtitutum; ſed non ad ideas eleuatum, in easque reſolutum. Qui verſantur in hac rei intelligibilis imagine, ſuppoſitionibus vtuntur: & ex eis, non ad principia, quæ ſunt rationes, & ideæ; ſed ad inferiora nos deducunt. Demũ ſcientia, vt cum intelligentia confunditur, in intelligibili verſatur; quæ eſt eſſentia rerum, & eſt initium cęterorum graduum: huiuſmodi ſunt rationes ad animam, ideæ ad mentem pertinentes. Vt in ſplendore, & veritate, intelligibile ſe habet ad ſenſibile, & forma ad imaginem; ita ſuperiores cognitionis gradus, ſe habent ad inferiores. Hi quatuor gradus, vt in quinque reſolui poſſunt, ſecernendo intelligentiã à ſcientia; ita in duos præcipuos à Platone rediguntur; quatenus duo primi verſantur circa generationẽ, duo verò poſtremi circa eſſentiam. Neque putandum eſt, hos quatuor cognitionis gradus à Platone poſitos, reſpondere quatuor generibus argumentationum; nempe exemplo, inductioni, enthymemati, & ſyllogiſmo ſiue demonſtrationi: adeò, vt exemplum imaginationi, enthymema fidei, inductio cogitationi, & demonſtratio ſcientiæ reſpondeat: hoc, inquam, dici non debet; quoniam quatuor argumentationum genera, ad eandem rem poſſunt referri; cùm quatuor hi gradus à Platone poſiti, referantur ad varios rerum gradus, nec in eodem verſari poſſunt:

quod ex eo patet; quia multi hos rerum gradus non concedunt, qui tamen ea quatuor argumentorum genera libētiſsimè approbant. Ex his conſtat, quinam debeant cenſeri philoſophi, & qui φιλοδόξοι. Nam qui in ſola rerum generatione verſantur, non Philoſophi, ſed Philodoxi dici debent: Qui verò verſantur in eſſentia, & ad ideas extolluntur, easque ſolas inquirunt; iure philoſophi cenſeri merentur; vt in quinto de R. P. monuit Plato. Hos gradus Peripatetici non valent per ſua principia concedere; nec ad ſupremum eorum, ingenij aciem attollere; cùm Ideas menti inſertas non cognouerint.

*Quæ mereantur nuncupari Scientiæ.*

## Cap. X.

Ex dinumeratis quatuor gradibus, necnon ex eorum explicatione, patere poteſt; quænam ex humanis diſciplinis ſint dignæ nomine ſcientiæ, quæ verò minimè. Nam illæ ſolæ iure merito cenſendæ ſunt ſcientiæ; quæ liberæ ſunt, nullis ſuppoſitionibus vtuntur, in prima abſolutè reſoluunt, in eſſentia verſantur, & demum ad ideas nos eleuant: hæ ſunt, quæ iure merito, ne dum ſcientiæ; verùm etiam ſapientiæ, & intelligentiæ nomine honeſtari merentur. Huiuſmodi ex diſciplinis eſt ſola Dialectica: nam ea ſola nullis ſuppoſitionibus vtens, vmbras, & imagines negligens, ſublimi indagine

gine ad prima principia nos euehit; & propterea diſciplinarum apex, earumque colophonium, iudicari meretur. Nomine Dialecticæ, non logicam, non logicæ partem, nec diſputandi methodum, qua de rebus omnibus probabiliter diſſerere valemus, denotari putandum eſt; ſed diſciplinam ſupremo acumine præditam, ſuppoſitiones omnes negligentem, libereque ad prima initia euolantem, in illis ſolis requieſcentem. Ariſtoteles huiuſmodi Dialecticam nequaquam dari exiſtimat, cũ non putauerit dari Ideas: neque Metaphyſica Ariſtotelis, eſt Dialectica Platonis; vt Marſilius, & alij cum eo exiſtimarunt: ſed ſolum dicere poſſumus, Metaphyſicam Ariſtotelis proportione reſpõdere Dialecticæ Platonis; quatenus ambæ ad ea eleuant, quæ ſunt prima ex opinione ſuorum auctorum, & ſunt dominæ cæterarum. Re vera tamen maximè differunt; quoniam Dialectica Platonis ad Ideas eorũ, quæ ſunt, nos perducit: quod minimè facit Metaphyſica; quæ cùm laboret pro euertendis Ideis, etiam laborare dicitur pro euertenda vera Dialectica Platonis. Et hoc ex eo manifeſtè patet, quod dicitur ab Ariſt. in primo Metaph. cont. 47. nec non 48. vbi hanc liberã, ſuppoſitionibus non vtentem Dialecticam arguit, & refellere nititur. Quem locum Ariſt. nec Auerroes, nec illi interpretes rectè explicare valuerunt; qui non fuerunt verſati in diſciplina Platonis, aduerſus quam ibi diſpu-

quod ex eo patet; quia multi hos rerum gradus non concedunt, qui tamen ea quatuor argumentorum genera libétiſsimè approbant. Ex his conſtat, quinam debeant cenſeri philoſophi, & qui φιλοδόξοι. Nam qui in ſola rerum generatione verſantur, non Philoſophi, ſed Philodoxi dici debeant: Qui verò verſantur in eſſentia, & ad ideas extolluntur, easque ſolas inquirunt; iure philoſophi cenſeri merentur; vt in quinto de R. P. monuit Plato. Hos gradus Peripatetici non valent per ſua principia concedere; nec ad ſupremum eorum, ingenij aciem attollere; cùm Ideas menti inſertas non cognouerint.

*Quæ mereantur nuncupari Scientiæ.*

## CAP. X.

EX dinumeratis quatuor gradibus, necnon ex eorum explicatione, patere poteſt; quænam ex humanis diſciplinis ſint dignæ nomine ſcientiæ, quæ verò minimè. Nam illæ ſolæ iure merito cenſendæ ſunt ſcientiæ; quæ liberæ ſunt, nullis ſuppoſitionibus vtuntur, in prima abſolutè reſoluunt, in eſſentia verſantur, & demum ad ideas nos eleuant: hæ ſunt, quæ iure merito, ne dum ſcientiæ; verùm etiam ſapientiæ, & intelligentiæ nomine honeſtari merentur. Huiuſmodi ex diſciplinis eſt ſola Dialectica: nam ea ſola nullis ſuppoſitionibus vtens, vmbras, & imagines negligens, ſublimi indagine

gine ad prima principia nos euehit; & propterea diſciplinarum apex, earumque colophonium, iudicari meretur. Nomine Dialecticæ, non logicam, non logicæ partem, nec diſputandi methodum, qua de rebus omnibus probabiliter diſſerere valemus, denotari putandum eſt; ſed diſciplinam ſupremo acumine præditam, ſuppoſitiones omnes negligentem, libereque ad prima initia euolantem, in illis ſolis requieſcentem. Ariſtoteles huiuſmodi Dialecticam nequaquam dari exiſtimat, cũ non putauerit dari Ideas: neque Metaphyſica Ariſtotelis, eſt Dialectica Platonis; vt Marſilius, & alij cum eo exiſtimarunt: ſed ſolum dicere poſſumus, Metaphyſicam Ariſtotelis proportione reſpõdere Dialecticæ Platonis; quatenus ambæ ad ea eleuant, quæ ſunt prima ex opinione ſuorum auctorum, & ſunt dominæ cæterarum. Re vera tamen maximè differunt; quoniam Dialectica Platonis ad Ideas eorũ, quæ ſunt, nos perducit: quod minimè facit Metaphyſica; quæ cùm laboret pro euertendis Ideis, etiam laborare dicitur pro euertenda vera Dialectica Platonis. Et hoc ex eo manifeſtè patet, quod dicitur ab Ariſt. in primo Metaph. cont. 47. nec non 48. vbi hanc liberã, ſuppoſitionibus non vtentem Dialecticam arguit, & refellere nititur. Quem locum Ariſt. nec Auerroes, nec illi interpretes rectè explicare valuerunt; qui non fuerunt verſati in diſciplina Platonis, aduerſus quam ibi diſpu-

tat Ariſtot. quamuis eius rationes, per fundamenta Platonis rectè intellecta, facilè diſſoluantur. Propterea ego nunquam induci potui, vt omni ex parte eos commendarem, qui ſe Ariſtotelis profitentur interpretes, & diſciplinæ Platonicæ penitus ſunt ignari. Qua enim ratione quæſo valent Ariſtotelem ſine notitia doctrinæ Platonicæ explicare? cùm Ariſtoteles, vt plurimùm, Platonem arguat, aduerſus eum de rebus præcipuis diſſerat? Quomodo iudicium tradere, vim rationum perpendere valent; eo non cognito, de quo ſermo eſt? Sed hoc prætereuntes, ad id reuerſi, vnde receſsimus; iam conſtare cenſeo, quid ſit Dialectica apud Platonem; & quomodo conueniat, & differat à Metaphyſica Ariſtotelis. Patet inſuper; ſcientias ab Ariſtotele de rebus traditas, vt ab eo traditę ſunt, ſcientias nō eſſe, ſed opiniones; & conſequenter non eſſe partes philoſophiæ, ſed ſolùm partes dilectionis opinionis. Mathematica, quæ certiſsima dicitur ſcientiarū, minimè eſt ſcientia: tum quia non de intelligibilibus, ſed de ſenſibilibus eſt: tum inſuper, quoniam non traditur per principia ſcientię; cùm ſolùm vtatur petitionibus, & ſuppoſitionibus nonnullis; non autem reſoluat in vera, & prima principia. Promuntur quidem in facultatem imaginandi formæ illę, quæ à mathematico conſiderantur, ab anima per rationes; vt cum Proclo etiam Simplicius manifeſtauit; attamen Mathematicus ra-
tiones

tiones eas non cognoſcit, nec ad eas, & longè minùs ad ideas eleuatur; aliud enim eſt cognoſcere per rationes, & cognoſcere rationes; primum conuenit Mathematico, non ſecundum; ideo iure non cognoſcit propria principia eorum, quæ conſiderat. Propterea Mathematicæ ſolùm per conſuetudinem dicuntur ſcientiæ, non autem re vera ſcientiæ ſunt; vt docuit Plato in 6. de Republica: ſcientiæ autem eſſent, ſi ad principia aſcenderent, vt facit Dialecticus: qualem fuiſſe cenſendum eſt Mathematicam Pythagoræ, & Platonis, vt alibi explicatum eſt. Sic intelligi debet ſententia Simplicij, in 3. de anima, & alibi aſſerentis, Mathematicas non eſſe ſcientias; quia ad propriè ſumpta principia non eleuant: per quæ principia rationes, & ideas denotauit; à quibus, vel proximè, vel remotè pendent, nedum mathematica; verùm etiam cætera omnia, quę fiunt. Quæ Simplicij ſententia minùs rectè à plurimis refertur, minùs exactè conſiderantibus fundamentum eius.

*Quomodo in nobis de Rebus fiat iudicium.*

## CAP. XI.

Q Vamprimùm nobis ſeſe offerũt externa ſenſibilia, ac ſentiendi inſtrumentum vita præditum attingunt: primò conſideratur affectio, ac perpeſsio quędam viuentis organi: quod, ratione

corporis, patitur; ratione formantis vitæ, reddit affectionem illam puriorem, ac magis ſpiritalem; & hæc eſt actio facultatis formantis: quæ actio, iudicium non eſt; ſed mox ea purior affectio, attingit facultatis vtentis rationem; cum ea iungitur, vt effectus cum ſua cauſſa: & tunc facultas vtens, per rationes ſenſibilibus reſpondentes, eas iudicat; nam per vnam dulcedinis rationem, iudicat omne dulce: & ita de ſingulis. Adeò, quòd in obeundo ſentiendi munere, & facultas formans, & vtens agunt: formans agit; quia ex minùs pura puriorem, vel ex non ſpiritali ſpiritalem reddit actionem: idque efficit munere rationum, & propterea promere dicitur ſenſilem ſpeciem: facultas verò vtens, per nexum ſpeciei ſenſilis cum ratione, tanquam cum cauſſa, iudicat; adeò, vt iudicium ſolùm ſit facultatis vtentis. Sic vera eſt ſententia Academicorum, quòd perpeſsio in ſenſibus terminatur ad actionem. Pariter vera eſt eorundem ſentẽtia, quòd ſimile cognoſcatur à ſimili: quæ longè priùs ab Empedocle fuit prolata, & mox à Galeno in ſeptimo de Placitis Hipp. & Plat. cap. 5. & 6. approbata, & explicata; quamuis longè ſecùs, & longè diuerſa ſignificatione, ac fuerit primò ab antiquioribus, maximè à Platone prolata. Quę ſententia; quamuis ab Ariſtotele in primo de anima damnetur; attamen leues ſunt eius rationes:

quoniam,

quoniam, vel reſpexit ad ſimilitudinem corpoream tantùm, per quam aſſerit putaſſe anti quos fieri cognitionem; de qua ſi loquimur, etiam cum Platone fatemur, ſimile à ſimili nõ cognoſci: vel reſpexit ad ſolam perpeſſionem inſtrumẽtorum ſenſus; de qua etiam fatemur, non fieri propriè à ſimili; quia ſimilitudo in actione conſideranda eſt: vel demum ideas, & rationes pro cognitione apprimè neceſſarias, inutiles, & ſuperuacaneas exiſtimauit. Quemadmodum ab externis ſenſibus iudicium ferri aſſeruimus, ita idipſum fieri ab internis putandum eſt: nam ea ſimulacra actu reddita ab externis ſenſibus, per conuenientes gradus tranſeunt ad internas facultates; ibique puriores adhuc redduntur; & per rationes ſuperioris ordinis, illis ſimulacris reſpõdentes iudicantur. In internis cognitionibus, vt ex Sophiſta colligitur, reperitur hic ordo. Nam primò poſt ſenſus externos, communi ſenſu ligatos, occurrit vis imaginandi; quæ vel Aſsimilatrix eſt, vel Phantaſtica: Aſsimilatrix dicitur, vt ea apprehendit, quæ à ſenſibus ei offeruntur: Phantaſtica verò, dum ſupra ſimulacrum erigitur; idque ſub ratione, vel pulchri, vel deformis, amici, vel aduerſi apprehendit; ac etiam ad libitum noua phãtaſmata format. Sequitur mox Cogitatio, ſupra quam eſt ſcientia. Inſuper, Opinio, & Fides, dupliciter accipiuntur: vel enim obſcura, & diminuta ſunt penitus, & ſic cogitationem antecedunt; nam

eius maximè propria eſt admiratio : quæ eſt occaſio inquiſitionis veritatis; & cùm eius admiratio ſit propria, etiam aptitudo ad ridendũ propria eſt, quæ admirationem expoſcit. Ariſtot. in procemio Metaphyſ. diſciplinam, non propriam hominis aſſerit, ſed communem etiam nonnullis iumentis, & feris. De hoc tamen lis nulla eſt inter eum, & Platonem: quia, dum aſſerimus diſciplinam eſſe propriam hominis; de præcipua, & propriè ſumpta loquimur, quæ rationem expoſcit: ea, quæ commu nis eſt etiam feris, eſt diſciplina ex ſola aſſuetudine, & memoria pendens. In hoc tamen Ariſt. verè à Platone diſſentit, nec conciliari poteſt; quia Ariſtot. intellectum, quem poteſtate appellat, vt omnia fieri valeat, omnibus intelligibilibus formis debere eſſe denudatum exiſtimat: Plato verò ſolùm aſſerit eſſe denudatum in reſpectu, & in parte; nõ abſolutè: conciliari inquam non poſſunt; quoniam Ariſtot. neque ideas, neque rationes ideis reſpondentes concedit, vt alibi oſtenſum eſt.

*De Gradibus in acquirenda ſcientia.*

## CAP. VIII.

QVoniam ex veritatis cognitione, in homine manat omne bonum, vniuerſaque eius perfectio; ac inſuper, quoniam modus acquirendæ ſcientiæ eſt difficilis cognitu; adeò, vt de eo ſummopere Ariſt. à Platone diſſentiat: propterea

ptèreà latiùs,& cumulatiùs in eius explicatione verſari debemus. In ſcientiis, ac in earum acquiſitione,varij nobis occurrũt gradus: qui, diuerſa conſideratione, diuerſi ſunt. Primò enim ex ſententia Platonis in Epiſt. 7. hi quinque gradus conſiderantur, nomen, ratio, ſimulacrum,ſcientia,idea. Nomen quid ſit, ſatis conſtat; & per nomen, etiam verbum ſignificatur. Nomen,& à natura,& ab humana inſtitutione ducit ortum.In nomine enim duo cõſiderantur: primò,rectitudo,rectaque eius inſtitutio: ſecundò, eius impoſitio, ſub ea ratione,qua abſolutè ſignum eſt. Si ad primum reſpicimus, proculdubio rectitudo ex rei natura pendet; nomen enim debet naturæ rei reſpondere. Hinc munus ſapientis eſt, imponere nomen; hinc non omne nomen vnicuique rei rectè conuenit; hinc demum ducit ortum ratio ex etymologia deprompta, qua frequenter etiam vtitur Ariſt. Si verò nomen ſecundo modo conſideramus: quia id nõ à natura,ſed ab homine rebus eſt impoſitum; & eſt ſignũ, quod ab homine excogitatum eſt, pro denotandis,ac diſtinguendis rebus; quod etiam ſine rectitudine frequẽter res ſignificat; & multifariam, multiſque modis apud varias nationes variatur: ſic ad hominis libitum formari dicitur. Hac de re in ſolis verbis, non in ſententia lis eſt inter Platonem, & Ariſt. ambo enim concedunt, quæ dicta ſunt. Ideo Plato nonnũquam nomina ex rei natura aſſerit eſſe

deſumenda, vt in Cratilo, vbi rectam nominũ inſtitutionem conſiderat; nonnunquam verò ea nil firmi includere, in hominisque facultate eſſe poſita affirmat. Ariſt. autem aſſerens ea ex hominis impoſitione pendere, ad id reſpexit; quòd nomen ex eo ſolo recipit, vt ſit nomen, quia impoſitum eſt, & factum eſt ſignum pro re aliqua ſignificanda: at non propterea inficiatur, rectitudinem nominis ex rei natura eſſe deſumendam. Ex his patet, quomodo nomina ſignificent, & ſint, vt inſtrumenta artium; quemadmodum dixit Plato in Cratilo: & non ſignificent, vt inſtrumenta; quemadmodum dixit Ariſt. in lib. de interpretatione. Nam quatenus ſeruant rectitudinem, ex rei natura depromptam; ſe habent, perinde ac inſtrumenta artium: in quibus neceſſaria eſt rectitudo quædam, & conueniens figura; vt ſuũ opus abſoluere valeant. Ex aduerſo, non ſunt ſicut inſtrumenta; quatenus etiam ſine rectitudine impoſitionis funguntur ſuo munere: & ex eo ſolo, quòd facta ſunt ſigna; id habent, vt nomina ſint. De nominum facultatibus varia occurrerent dicenda; ſed, vt minùs inſtituto noſtro inſeruientia, prætermittuntur. Nomen itaque eſt id, quod in acquirenda cognitione nobis primò occurrit. Ei ſuccedit ratio, ſiue oratio, pluribus vocibus explicans nominis ſignificationem; vt circulus eſt figura plana, vna linea terminata, in cuius medio eſt pũctum, &c. Tertiò conſideratur ſimulacrum, &

imita-

imitatio quædam in materia recepta; vt circulus pictus, vel torno factus, deletus, vel deſtructus: in quo conſideramus, quòd ille non eſt verus circulus; & quòd ipſe circulus nec deletur, nec deſtruitur, & exquiſitè circulus eſt. Ex qua animaduerſione, per excitationem à circuli imagine factam, & per rationem animę inſertam, in actum expromimus ingenitam circuli formam: ex qua vario modo ſe habente, conſurgit in nobis ſcientia, & vera opinio: quæ nunc ob vnitatem rationis vno nomine deſignantur, infrà verò cumulatiùs diſtinguẽtur. Poſtremò per huiuſmodi actum inſertæ rationis, dirigimur in Ideam in mente vigentem: in qua directione, & cum ea nexu poſita eſt propria intelligentia; quæ eſt abſolutio, & poſtremus terminus humanæ cognitionis. Ea tria, quæ primò numerata ſunt, non ſemper omnia neceſſariò nobis occurrunt; valemus enim, etiã ſine cognitione nominis, in cognitionem naturæ rei eleuari: poſtrema duo, neceſſaria ſunt pro ſcientiæ abſolutione. Prima tria, variis permutationibus ſunt obnoxia: quartum minùs: poſtremum verò minimè penitus. Prima tria potiùs verſantur circa quale, circa imaginem, & vmbram: quartum nos extollit ad veri participationem: quintum ad ipſum verum, reique eſſentiam. In primis gradibus verſantur ferè omnes: in quarto pauci: in quinto, Dij quidẽ omnes, homines verò paucisſimi; vt in Timæo aſſeritur. Quatuor

prima ſine quinto, cognoſcuntur quidem, ſed confusè: exactè autem innoteſcunt ex cognitione quinti, vt effectus ex cognitione cauſſæ. Quintum verò aſſequi nullo pacto valemus, niſi primò accuratè in reliquis verſati fuerimus: nos enim ex diuerſitate ad identitatem, ex multitudine ad vnum, ex vmbra ad eſſentiam, cogimur eleuari. Dum nos rerum cognitionem expetimus, & quærimus; ſi ſolùm earum ſimulacrum cognoſcere, vel explicare cupimus, in tertio gradu collocatum (quod faciunt multi) facile eſt aſſequi, quod cupimus; & multitudini cumulatè ſatisfacimus; & vera enunciare iudicamur: At dum ingenium aliquod verè Philoſophicum, quod ita rarũ eſt, vt rari ſunt corui albi, ad quintum aſpirat, & fœlici euentu illud attingit: quamuis ille contactus ſit omni cognitione clarior, firmior, & certior; attamen difficile eſt illum literis mandare, & aliis manifeſtare: vt de mundi opifice dixit Plato in Timæo, quòd difficile eſt illum inuenire; inuentum verò aliis manifeſtare, eſt impoſsibile: eadem enim ideæ, & opificis eſt ratio, cùm ideæ opifici conueniant. Et iure aliis manifeſtari non poteſt: Primò, quia deſunt verba exactè reſpondentia eſſentiæ rei, cùm ſint ſigna vmbrarum: Secundò, quia cum illis loquimur, qui in ſolis verſantur vmbris; & propterea ab eis carpimur, & digni reprehenſione iudicamur; cùm nõ videant illud quintum quadrare, exacteque reſpondere ſimula-

eris in materia poſitis, quę ſola verè eſſe exiſtimant. Hinc quoque euenit, quòd frequenter non animus ſcribentis, vel loquentis redarguitur, ſed verba tantùm; vt contigit Platonī de Republica loquenti: ipſe enim Reipublicæ diuinam quandam ideam conſiderauit, quam rectè nouit inter homines reperiri non poſſe; carpitur autem ab aliis, ad ſola humana, & vmbras reſpicientibus. Hinc conſpicimus libros de Legibus libris de Republica nō omni ex parte reſpondere: nam Plato leges formaturus, humanas conditiones magis conſiderauit. Ariſt. in his re vera à Platone diſſentit; non enim ita nos eleuat, vt Plato. Ariſt. rerum imaginibus contentus, in eis requieuit, nec altiùs eleuatus eſt: Plato verò imagines deſpiciens, ad quintum gradū aſcendit; quem ſolum magnifecit. Ex quo euenit, quòd ab Ariſtotele non commendatur; & ſæpe verba, non eius ſententia reiicitur. Et quamuis Plato hæc omnia præuidens; ſua decreta, ſuamq; ſapientiam, vel potiùs idearum contactum, renuerit aliis manifeſtare; vt patet ex epiſtolis, & ex libris de Republica: attamen non adeò hoc præcauere valuit, vt etiam aliorum morſibus aliqua ex parte non ſe expoſuerit.

*Alia graduum cognitionis explicatio.* CAP. IX.

VT clariùs pertinentia ad internam animæ noſtræ cognitionem eluceſcant, alio ſumpto principio cum Platone in 6. & 7. de R. P. dicamus. In-

ternarum animæ noſtræ cognitionum, quatuor ſunt gradus; Imaginatio, ſiue Aſsimilatio; Fides; Cogitatio; & demum Scientia, ſiue Sapientia. Primi duo gradus ſimul iuncti, opinionem conſtituunt: Duo verò poſtremi pariter iuncti, pariunt intelligentiam latè ſumptam. Dico latè ſumptam; quia tribus modis apud Academicos vſurpatur intelligentię nomen. Primò, vt conſurgit ex opinione, & ſcientia; quemadmodum in ſeptimo de R.P. aſſerit Plato. Secūdò, vt in idem venit cum ſcientia: ſic in calce ſexti de R.P. intelligentiam cum ſcientia confudit. Demum, vt diſtinguitur à ſcientia, & intelligibile à ſcibili: ſic ſcientia eſſentiales animæ rationes reſpicit; intelligentia verò eleuat ad ideas, & hæc propriè intelligentia eſt. Diſtinctio horū quatuor graduum præſertim pendet ex diſtinctione rerum, in quibus anima verſatur. Nam conſiderantur hi quatuor rerum gradus; imago rei ſenſibilis, res ſenſibilis, imago rei intelligibilis, & demū ipſum intelligibile. Imaginatio, ſiue aſsimilatio, reſpicit imaginem rei ſenſibilis: quæ imago nil aliud eſt, niſi vmbra, vel ſimulacrum; quod in aquis, vel aliis corporibus lucidis, & terſis apparet. Fides verſatur in re ſenſibili: res ſenſibiles ſunt animalia, plantæ, & demum corpora, quæ apud nos ſenſu vſurpantur. Ex imaginatione, & fide opinio conſurgit. Cogitatio verſatur in imagine rei intelligibilis: quę imago nil aliud eſt, niſi vniuerſale quoddam

ex

ex ſenſibilibus collectum, ad rationes rerum in anima exiſtentes relatum, earumque ope conſtitutum; ſed non ad ideas eleuatum, in easque reſolutum. Qui verſantur in hac rei intelligibilis imagine, ſuppoſitionibus vtuntur; & ex eis, non ad principia, quæ ſunt rationes, & ideæ; ſed ad inferiora nos deducunt. Demũ ſcientia, vt cum intelligentia confunditur, in intelligibili verſatur; quæ eſt eſſentia rerum, & eſt initium cęterorum graduum: huiuſmodi ſunt rationes ad animam, ideæ ad mentem pertinentes. Vt in ſplendore, & veritate, intelligibile ſe habet ad ſenſibile, & forma ad imaginem; ita ſuperiores cognitionis gradus, ſe habent ad inferiores. Hi quatuor gradus, vt in quinque reſolui poſſunt, ſecernendo intelligentiã à ſcientia; ita in duos præcipuos à Platone rediguntur; quatenus duo primi verſantur circa generationẽ, duo verò poſtremi circa eſſentiam. Neque putandum eſt, hos quatuor cognitionis gradus à Platone poſitos, reſpondere quatuor generibus argumentationum; nempe exemplo, inductioni, enthymemati, & ſyllogiſmo ſiue demonſtrationi: adeò, vt exemplum imaginationi, enthymema fidei, inductio cogitationi, & demonſtratio ſcientiæ reſpondeat: hoc, inquam, dici non debet; quoniam quatuor argumentationum genera, ad eandem rem poſſunt referri; cùm quatuor hi gradus à Platone poſiti, referantur ad varios rerum gradus, nec in eodem verſari poſſunt;

quod ex eo patet; quia multi hos rerum gradus non concedunt, qui tamen ea quatuor argumentorum genera libētiſsimè approbant: Ex his conſtat, quinam debeant cenſeri philoſophi, & qui φιλοδόξοι. Nam qui in ſola rerum generatione verſantur, non Philoſophi, ſed Philodoxi dici debent: Qui verò verſantur in eſſentia, & ad ideas extolluntur, easque ſolas inquirunt; iure philoſophi cenſeri merentur; vt in quinto de R. P. monuit Plato. Hos gradus Peripatetici non valent per ſua principia concedere; nec ad ſupremum eorum, ingenij aciem attollere; cùm Ideas menti inſertas non cognouerint.

*Quæ mereantur nuncupari Scientiæ.*

## CAP. X.

EX dinumeratis quatuor gradibus, necnon ex eorum explicatione, patere poteſt; quænam ex humanis diſciplinis ſint dignæ nomine ſcientiæ, quæ verò minimè. Nam illæ ſolæ iure merito cenſendæ ſunt ſcientiæ; quæ liberæ ſunt, nullis ſuppoſitionibus vtuntur, in prima abſolutè reſoluunt, in eſſentia verſantur, & demum ad ideas nos eleuant: hæ ſunt, quæ iure merito, ne dum ſcientiæ; verùm etiam ſapientiæ, & intelligentiæ nomine honeſtari merentur. Huiuſmodi ex diſciplinis eſt ſola Dialectica: nam ea ſola nullis ſuppoſitionibus vtens, vmbras, & imagines negligens, ſublimi indagine

gine ad prima principia nos euehit; & propterea diſciplinarum apex, earumque colophonium, iudicari meretur. Nomine Dialecticæ, non logicam, non logicæ partem, nec diſputandi methodum, qua de rebus omnibus probabiliter diſſerere valemus, denotari putandum eſt; ſed diſciplinam ſupremo acumine præditam, ſuppoſitiones omnes negligentem, libereque ad prima initia euolantem, in illis ſolis requieſcentem. Ariſtoteles huiuſmodi Dialecticam nequaquam dari exiſtimat, cũ non putauerit dari Ideas: neque Metaphyſica Ariſtotelis, eſt Dialectica Platonis; vt Marſilius, & alij cum eo exiſtimarunt: ſed ſolum dicere poſſumus, Metaphyſicam Ariſtotelis proportione reſpõdere Dialecticæ Platonis; quatenus ambæ ad ea eleuant, quæ ſunt prima ex opinione ſuorum auctorum, & ſunt dominæ cæterarum. Reuera tamen maximè differunt; quoniam Dialectica Platonis ad Ideas eorũ, quæ ſunt, nos perducit: quod minimè facit Metaphyſica; quæ cùm laboret pro euertendis Ideis, etiam laborare dicitur pro euertenda vera Dialectica Platonis. Et hoc ex eo manifeſtè patet, quod dicitur ab Ariſt. in primo Metaph. cont. 47. nec non 48. vbi hanc liberã, ſuppoſitionibus non vtentem Dialecticam arguit, & refellere nititur. Quem locum Ariſt. nec Auerroes, nec illi interpretes rectè explicare valuerunt; qui non fuerunt verſati in diſciplina Platonis, aduerſus quam ibi diſpu-

tat Ariſtot. quamuis eius rationes, per fundamenta Platonis rectè intellecta, facilè diſſoluantur. Propterea ego nunquam induci potui, vt omni ex parte eos commendarem, qui ſe Ariſtotelis profitentur interpretes, & diſciplinæ Platonicæ penitus ſunt ignari. Qua enim ratione quæſo valent Ariſtotelem ſine notitia doctrinæ Platonicæ explicare? cùm Ariſtoteles, vt plurimùm, Platonem arguat, aduerſus eum de rebus præcipuis diſſerat? Quomodo iudicium tradere, vim rationum perpendere valent; eo non cognito, de quo ſermo eſt? Sed hoc prætereuntes, ad id reuerſi, vnde receſsimus; iam conſtare cenſeo, quid ſit Dialectica apud Platonem; & quomodo conueniat, & differat à Metaphyſica Ariſtotelis. Patet inſuper; ſcientias ab Ariſtotele de rebus traditas, vt ab eo traditę ſunt, ſcientias nō eſſe, ſed opiniones; & conſequenter non eſſe partes philoſophiæ, ſed ſolùm partes dilectionis opinionis. Mathemàtica, quæ certiſsima dicitur ſcientiarū, minimè eſt ſcientia: tum quia non de intelligibilibus, ſed de ſenſibilibus eſt: tum inſuper, quoniam non traditur per principia ſcientię; cùm ſolùm vtatur petitionibus, & ſuppoſitionibus nonnullis; non autem reſoluat in vera, & prima principia. Promuntur quidem in facultatem imaginandi formæ illę, quæ à mathematico conſiderantur, ab anima per rationes; vt cum Proclo etiam Simplicius manifeſtauit; attamen Mathematicus rationes

tiones eas non cognoſcit, nec ad eas, & longè minùs ad ideas eleuatur; aliud enim eſt cognoſcere per rationes, & cognoſcere rationes; primum conuenit Mathematico, non ſecundum; ideo iure non cognoſcit propria principia eorum, quæ conſiderat. Propterea Mathematicæ ſolùm per conſuetudinem dicuntur ſcientiæ, non autem re vera ſcientiæ ſunt; vt docuit Plato in 6. de Republica: ſcientiæ autem eſſent, ſi ad principia aſcenderent, vt facit Dialecticus: qualem fuiſſe cenſendum eſt Mathematicam Pythagoræ, & Platonis, vt alibi explicatum eſt. Sic intelligi debet ſententia Simplicij, in 3. de anima, & alibi aſſerentis, Mathematicas non eſſe ſcientias; quia ad propriè ſumpta principia non eleuant: per quæ principia rationes, & ideas denotauit; à quibus, vel proximè, vel remotè pendent, nedum mathematica; verùm etiam cætera omnia, quę fiunt. Quæ Simplicij ſententia minùs rectè à pluribus refertur, minùs exactè conſiderantibus fundamentum eius.

*Quomodo in nobis de Rebus fiat iudicium.*

## Cap. XI.

Qvamprimùm nobis ſeſe offerũt externa ſenſibilia, ac ſentiendi inſtrumentum vita præditum attingunt: primò conſideratur affectio, ac perpeſsio quędam viuentis organi: quod, ratione

corporis, patitur; ratione formantis vitæ, reddit affectionem illam puriorem, ac magis ſpiritalem; & hæc eſt actio facultatis formantis: quæ actio, iudicium non eſt; ſed mox ea purior affectio, attingit facultatis vtentis rationem; cum ea iungitur, vt effectus cum ſua cauſſa: & tunc facultas vtens, per rationes ſenſibilibus reſpondentes, eas iudicat; nam per vnam dulcedinis rationem, iudicat omne dulce; & ita de ſingulis. Adeò, quòd in obeundo ſentiendi munere, & facultas formans, & vtens agunt: formans agit; quia ex minùs pura puriorem, vel ex non ſpiritali ſpiritalem reddit actionem; idque efficit munere rationum, & propterea promere dicitur ſenſilem ſpeciem: facultas verò vtens, per nexum ſpeciei ſenſilis cum ratione, tanquam cum cauſſa, iudicat; adeò, vt iudicium ſolùm ſit facultatis vtentis. Sic vera eſt ſententia Academicorum, quòd perpeſsio in ſenſibus terminatur ad actionem. Pariter vera eſt eorundem ſentẽtia, quòd ſimile cognoſcatur à ſimili: quæ longè priùs ab Empedocle fuit prolata, & mox à Galeno in ſeptimo de Placitis Hipp. & Plat. cap. 5. & 6. approbata, & explicata; quamuis longè ſecùs, & longè diuerſa ſignificatione, ac fuerit primò ab antiquioribus, maximè à Platone prolata. Quę ſententia; quamuis ab Ariſtotele in primo de anima damnetur; attamen leues ſunt eius rationes:

quoniam,

quoniam, vel reſpexit ad ſimilitudinem corpoream tantùm, per quam aſſerit putaſſe antiquos fieri cognitionem; de qua ſi loquimur, etiam cum Platone fatemur, ſimile à ſimili nõ cognoſci: vel reſpexit ad ſolam perpeſſionem inſtrumẽtorum ſenſus; de qua etiam fatemur, non fieri propriè à ſimili; quia ſimilitudo in actione conſideranda eſt: vel demum ideas, & rationes pro cognitione apprimè neceſſarias, inutiles, & ſuperuacaneas exiſtimauit. Quemadmodum ab externis ſenſibus iudicium ferri aſſeruimus, ita idipſum fieri ab internis putandum eſt: nam ea ſimulacra actu reddita ab externis ſenſibus, per conuenientes gradus tranſeunt ad internas facultates; ibique puriores adhuc redduntur; & per rationes ſuperioris ordinis, illis ſimulacris reſpõdentes iudicantur. In internis cognitionibus, vt ex Sophiſta colligitur, reperitur hic ordo. Nam primò poſt ſenſus externos, communi ſenſu ligatos, occurrit vis imaginandi; quæ vel Aſsimilatrix eſt, vel Phantaſtica: Aſsimilatrix dicitur, vt ea apprehendit, quæ à ſenſibus ei offeruntur: Phantaſtica verò, dum ſupra ſimulacrum erigitur; idque ſub ratione, vel pulchri, vel deformis, amici, vel aduerſi apprehendit; ac etiam ad libitum noua phãtaſmata format. Sequitur mox Cogitatio, ſupra quam eſt ſcientia. Inſuper, Opinio, & Fides, dupliciter accipiuntur: vel enim obſcura, & diminuta ſunt penitus, & ſic cogitationem antecedunt; nam

fides ſequitur imaginationem; ex fide autem, & imaginatione cōſurgit opinio: vel accipiuntur, vt maiori perfectione ſunt prædita, & ſic ſequuntur cogitationem. Propterea inquit Plato in Sophiſta, quòd anima, quæ intus viget, dum quaſi ſecum loquens ratiocinatur, ea interna locutio cogitatio eſt; affirmatio verò, & negatio ex cogitatione pendens, dicitur opinio: cùm verò anima non per ſe, ſed per ſenſum id facit, imaginatio dicitur, &c. Ex his conſtat primò; Platonem, & Ariſtotelem non idem ſentire de modo ſentiendi, & cognoſcendi; & diuerſitas pendet ex rationibus, quas ponit Plato, renuit Ariſtot. De numero autem facultatum diſſentire non videntur. Carpitur Plato ab Ariſtotele in ſecundo de anima cont. 158. quia Plato dixit imaginationem eſſe compoſitam ex opinione, & ſenſu. Simplicius, & Philoponus pro Platone inquiunt, eam non fuiſſe ſententiam Platonis. At re vera Ariſtoteles tunc in Platonem inuehitur; & modo aliquo id colligitur ex verbis Platonis in Sophiſta, dum inquit, internam cogitationem externæ noſtræ loquutioni reſpondere; ac vt in oratione reperitur affirmatio, & negatio, ita in cogitatione opinio: & cùm talis paſsio, nempe opinio, non per internam animam, ſed per ſenſum accidit; nō aliter, quàm Phantaſia cognominari poteſt. Sic itaq; aſſerit Plato Phantaſiam modo aliquo conſurgere ex opinione & ſenſu; quatnus Phantaſia eſt ea tenuis, &

obſcu-

obſcura opinio, ex ſenſu conſurgens. Quæ ſententia dum rectè intelligitur, vera eſt: nam loquitur tunc Plato de virtute imaginandi phantaſtica, de opinione tenui, & obſcura; nō de ea, quæ ex ratiocinatione conſurgit. Ariſtoteles eum carpens, de opinione alia loquitur, quæ ex ratiocinatione conſurgit; ideo inquit in cont. 159. Apparent autem per imaginandi vim ſæpe falſa, de quibus ſimul opinionem, ſiue exiſtimationem veram habet: vt apparet Sol vnius pedis; perſuaſum autem eſt, eum maiorem eſſe vniuerſa terra. Hæc Ariſtot. per quæ patet eum in verbis carpere Platonem, & ſophiſticè; cùm ſecùs accipiat nomen opinionis, ac id fiat à Platone.

### *Quomodo in nobis producatur ſcientia.*

### Cap. XII.

Varia ad hominis cognitionē pertinentia, in præcedentibus dicta ſunt: ſupereſt tamē adhuc, vt modum explicemus, quo ſcientia in nobis paritur; quæ conſideratio viro ſtudioſo eſt apprimè neceſſaria. De qua hanc cenſeo Platonis fuiſſe ſentētiam: Anima rationis particeps, cui ab æterno leges fuerunt oſtenſæ; hoc eſt, cui rationes omnes ideis reſpondentes, fuerunt inſertæ; in humano corpore, quaſi in campo obliuionis recepta; propè flumen negligentiæ, hoc eſt propè fluxum humorum

collocata; ex quo in ea varia perturbationum genera conſurgunt, quæ ſunt cauſſa, vt anima ſuimet obliuiſcatur, ſuaque negligat. Ita, inquam, anima conſtituta; quaſi dormiens, & ebria; dormiens, antequam excitetur; ebria, antequam excitata purgetur; incipit ab externis ſenſibilibus moueri, & excitari; excitata ob ſcientiarum initia in ſe conſeruata, incipit auidiùs ſcientiam expetere: ſic omnis homo, per naturam, hoc eſt, per veri intrinſecùs inſertas rationes, ſcire deſiderat; cuius deſiderij non tam conuenientem cauſſam valent Peripatetici aſsignare. Anima verum, & ſcientias expetens, in rerum externis imaginibus verſatur, in quibus veriſimile refulget; eas inter ſe per ratiocinationem pro facultate diſtinguit; & ſi in aliquo conueniunt, in vnum colligit. Sic coniunctum in multa ſeiungens, multaq; in vnum redigens, eò vſq; progreditur, vt per veriſimile ad verum eleuetur; eſſentiamque rei ab omni, vel aliena, vel contraria qualitate ſeiunctam attingat, in ratione, & idea refulgẽtem. Ex quo contactu ſibi apprimè ſalutari, tãquam ex reditu in propriam naturam, optimamque diſpoſitionem, incomparabili quadam lætitia perfunditur; adeoque exultat, vt vmbras omnes negligat, & paruipẽdat. Tunc verè cognoſcit, quòd, dum homo ad corporea reſpicit, in ſimulacris verſatur, ad imagines cõuertitur; & quamuis multa ſe ſcire putet, tamen re vera nihil ſcit; ſed tunc ſolùm ad ſcien-

tiæ ſublimem gradum eleuatur, cùm ideas attingit. Ex quo patet, quatuor hominum in ordine ad ſciẽtiam inueniri ſubordinatas diſpoſitiones. Primò enim pueri, tanquam noui huius mundi hoſpites, ſe nil ſcire cognoſcunt. Mox in vmbris, & imaginibus rerum naturalium verſati; neque adhuc ad eſſentias rerum conuerſi; cùm nihil ſciant, multa tamen ſe ſcire exiſtimant. Tertiò ad ſuperna conuerſi, eaque ſola verè eſſe iudicantes; ſe nihil eorum ſcire affirmant, quæ primò exiſtimabant ſe ſcire: in quo gradu ſe reperiri profitebatur Socrates, dum dicebat: Hoc vnum ſcio, quòd nihil ſcio: cuius ignorantia, aliorũ ſcientiæ præferenda eſt: quem ordinem indicauit Socrates, dum in Phædone dixit, ſe, dum primò in rebus naturalib. verſabatur, putaſſe multa ſcire: in progreſſu tamen eò deuenit, vt ſe nil ſcire animaduerteret. Poſtremò per animæ aciẽ ad ideas homines eleuati, cum eiſque coniuncti, iam ſcientiæ ſplendore illuſtrati refulgent. Hinc conſtat, quid ſit intellectus adeptus, quẽ à longè conſpexit Auerroes, & in cuius adeptione ſummum bonum collocauit. Nam duplex in anima conſideratur adeptio: vna ſui ipſius; dum extrà progreſſa, in ſe, ad ſuasq; rationes reuertitur: altera mentis; dum per rationes cum ideis iungitur, & mentem, tanquã formam adipiſcitur. Demũ ex his patet; quomodo vera ſcientia, quæ eadem intelligentia, & ſapientia eſt; pietatem, & religionem parit;

ſcientia enim nos ad mentem, & ad diuina eleuat; cum eis animam copulat, cum quibus anima ſola pura, recteque purgata coniungi valet; propterea ea coniunctio ſine pietate, ſanctitate, & religione, nec eſſe, nec ſeruari poteſt: adeò, vt pugnantia proferant; qui inquiunt, aliquem eſſe ſapientem, ſed impium, & à religione alienum.

*An ſcire ſit reminiſci.*

## CAP. XIII.

FRequenter Plato, cùm in Menone tum alibi, ſcientiam eſſe reminiſcẽtiam oſtendit; & iure profectò. Cũ enim à primo opifice manarint; à quo omne, quod effluit, perfectum eſt; animas quoque omni perfectione abſolutas ab eo manaſſe, putandum eſt: animæ perfectio eſt ſcientia; quæ adeò eſt eius propria, vt ſeorſum ab ea, nec quidẽ iure anima dici mereatur. Quod etiam ex eo patet: quoniam externa accidentia, quæ ſola ſenſibus vſurpantur, nunquam ad ſubſtantiæ, internæque eſſentiæ cognitionem nos eleuarent; niſi in anima noſtra per rationes formæ rerum eſſent inſertæ, eique eſſent familiares. Neque tam facilè per excitationes, per interrogationes, & reſponſiones, in nobis excitaretur cognitio veritatis; niſi cum ea veritate cõcreatæ fuiſſent animæ. Accedit, quòd neque etiam adeò tenax eſſet hominis memoria, neque tam diu ſeruaret anima notiones

tiones rerum; neque eorum, quæ ante quinquaginta annos didicit, recordaretur; niſi firmo,& ſtabili aliquo interno fūdamēto,ſcientiæ munitæ eſſent; firmiſque radicibus hærerēt: quomodo enim tam diu,vel in ſpiritibus, vel in eſſentia animæ, imagines ſolùm extrinſecùs receptæ, ſeruari poſſent? Fateamur itaque cum ratione, cum experientia, cum Platone,ſcientiam eſſe reminiſcētiam; aſſeramus, ab æterno animæ fuiſſe inſertas rationes rerū ideis reſpondentes, per quas dicitur Deus in Timæo oſtendiſſe animis fatales leges; cognoſcamus ex hoc, qua ratione, ex ſententia Platonis,anima ſit diuinæ mentis imago:vt enim diuina mens eſt omnia per Ideas;ita anima eſt omnia per rationes ideis proportione reſpondentes. Scientia itaque noſtra,eſt reminiſcentia eorum; quæ anima primò ſoluta à craſſo corpore, in ſeipſa nouerat:quorū, ob lapſum à ſe, & coniūctionem cum corpore, oblita eſt. Nuncupatur autem reminiſcentia, duplici de cauſſa:primò;quia anima ſoluta à corpore,eamet primò ſciebat: ſecundò; quia eadem anima cum alio corpore iuncta,eadem addiſcere, & ſcire potuit. Prima tamen eſt ea, ad quam præſertim reſpexit Plato; nam ea propriè poteſt dici reminiſcentia, cùm nobis conueniat per reliquias intelligibilium in anima intrinſecùs ſeruatas. Altera verò reminiſcentiæ nomine deſignari non meretur; cùm id, quod in vna corporea vita acquiritur,in obitu penitus

aboleatur. Inſuper, dum dicimus ſcientiam eſſe reminiſcentiam; id minimè eſt verum, referendo ſcientiam ad compoſitum; ſed ſolum ad animam, cui ab æterno inſertæ ſunt rationes rerum; per quas ſoluta à corpore, valet liberè cuncta cognoſcere.

*Quæ à Peripateticis obyciuntur Platoni.*

## Cap. XIIII.

Eripatetici ad ſola externa reſpicientes, in imaginib. potiùs, quàm in eſſentia rerũ verſati; Platonem ſupra eorum terminos eleuatum, in conſpicuo verſari errore affirmant: quod facilè ſe oſtendere credunt. Primò; quia quod apprimè aptum, natumque eſt aliquid recipere, eo debet eſſe denudatum; quod eſt in potentia, debet eſſe priuatum forma recipienda; quod ad oppoſita eſt indifferens, ad nullam partem debet eſſe contractum, nullique deſtinatum: hominis anima, ante ſcientiarum adeptionem, eſt capax; eſt in potentia; eſt indifferens ad verum, & falſum; & modò in vno, modò in altero verſatur: non itaque inſertam habet ſcientiam, & veritatem. Præterea, à ratione omnino eſſe alienum aſſerunt, quòd in anima inſertæ ſint rerum ſcientiæ: quaſi Theſauri pretioſi, & optimi, qui nos lateant: non enim veritatis ſplendor, & lux, occulta ſeruari poteſt. Addunt, quòd non anima ſcit, ſed homo per animam: non itaque anima ſoluta à corpore,

re, ea cognoſcit; quæ percipit, iuncta corpori. Confirmant: quia hominis anima, ſine virtute imaginandi nihil intelligit; & propterea reminiſci non poſſumus, cùm vis imaginandi pereat. Addunt, Platonem, nedum cum ratione, ſed etiam ſecũ pugnare: Ex vna enim parte aſſerit, ſcientiam eſſe reminiſcentiam: ex altera inquit, imagines nouas in anima formari, eaſque ſeruari, vel deleri: quæ memoria, vel obliuio dicitur: vt patet ex Theæteto: Inſuper, aſſerit in Philebo; animam libro ſine ſcriptione eſſe ſimilem, in quo denuo multa ſcribantur: Iure itaque negligenda penitus eſſe videtur ea Platonis de reminiſcentia ſententia: quam ipſemet reiecit, & ſeruare non valuit. Proculdubio, qui leuiter perpendunt, & extrinſecùs ſolùm conſiderant ſententias ſapientum; facilè in eis oppoſitiones adinueniunt, lites excitãt, rationesque pro earum euerſione formant: quæ facillimè delentur, dum ſententię intrinſecùs conſiderantur, intimiusque perſpiciuntur. Hoc manifeſtè patere poteſt in propoſita difficultate: de qua non eſt cum Simplicio dicendum, quòd lis ſit in verbis; & quòd, vt ex ſententia Platonis, ita etiam ex ſententia Ariſtotelis ſcientia ſit reminiſcentia; & quòd Ariſtoteles eam non cenſuerit nomine reminiſcentiæ denotandam. Manifeſtiſsimè fallitur Simplicius; cùm ſit conſpicua differentia de rationibus animæ inſertis, de ſtatu animæ extra craſſum corpus, de numero animorum,

&c aliis ad rem hanc pertinentibus; vt frequenter oſtenſum eſt in præcedentibus. Dicamus itaq; nos, eos re vera diſſentire; & Platonem, nec ſecum, nec cum ratione pugnare; ſed ſententiam proferre humanæ rationis apprimè conſentaneam. Et dum inquiūt Peripatetici, intellectum eſſe indifferentem, in potentia, & maximè natum recipere: dicendum eſt, hæc eſſe vera de anima rationali, vt nobis iuncta, vt cum imaginatione complicata; in qua coniunctione etiam ſeruat facilitatem, & habilitatem ad vnum oppoſitum; nempe ad veritatē, ad quā per inſertas rationes eſt procliuis. Inſuper, cùm in eius eſſentia, ſiue in anima in ſe manente, inſertæ ſint rerum rationes; optimè ſeruatur, quod ab Ariſtotele dicitur in tertio de anima; in nobis reperiri, & quod eſt natum omnia fieri, & quod eſt natum omnia facere: adeò, vt Ariſtoteles à veritate coactus, ſententiam protulerit apprimè conſentaneam ſententiæ Platonis. Neque eſt à ratione alienum, vt inquiunt, quòd huiuſmodi Theſauri ſcientiarum, nos lateant: nam adeò inuoluti ſumus in tenebris, & vmbra corporum; vt potiùs mirum ſit, quomodo aliquis animi aciem ſupra tenebras valuerit eleuare, & lucem veritatis conſpicere. Accedit, quòd etiam in huiuſmodi tenebricoſa diſpoſitione, acutè inſpicientibus varij offeruntur huius ſplendoris radij, veritatiſque indicia in præcedente capite enarrata. Præterea, ſi non miramur Geometram dormientem

mientem, & ebrium latere habitus ſuos: cur mirari debemus, quòd anima longè vehemẽtiora paſſa ob coniunctionem cum corpore, ſuimet, & ſuorum bonorum videatur oblita? Et dum inquiunt, non animam, ſed hominem intelligere; & nil intelligere, ſine virtute imaginandi: dicendum eſt, & hominem, & animã intelligere; ſed modo vario: cùm enim anima ſeorſum à corpore ſeruetur, ſeorſum à virtute imaginandi ſubſiſtat, etiam ſeorſum ab his operari valet. verum eſt, quòd homo nil intelligit ſine virtute imaginandi: falſum autẽ, quòd anima ſine ea nil intelligat; immò ſine ea verè, & propriè intelligit. Aſſero tamẽ, dum ex Platonis ſententia dicimus, ſcientiam eſſe reminiſcentiam; id minimè eſſe intelligendum, referẽdo hoc ad corporeum hominem; ſed ſolùm eſſe verum, ratione animæ: non enim illemet numero homo, ſed eamet anima prænouit illa; vel ſeiuncta à corpore, vel cum alio corpore iuncta. Dum verò vlteriùs inquiunt, Platonem ſecum pugnare: qui hoc aſſerunt, ſe ignaros prorſus oſtendunt Academicę diſciplinæ. Nam ex ſententia Platonis, dum loquimur de hominis ſcientia, ad duo reſpicere valemus: vel enim reſpicimus ad compoſitum hominẽ, vel ad ſolam animam: inſuper, vel reſpicimus ad imagines per externas ſenſuum excitationes exprom ptas, vel ad rationes intrinſecùs in anima inſertas. Si ad hominem, & ad imagines aduentitias reſpicimus, ſic nouæ ſcribun-

tur literæ, vt in Theæteto, & in Philebo legi-tur; id tamen non fit ſine auxilio internarum rationum: Si verò ad ſolam animam conuertimur, & ad rationes in ea inſitas; non denuo acquiruntur, nec vnquam penitus delentur, & eliduntur; ſed ſolùm obruuntur, & obſcurantur. Ex his colligi primò poſſunt omnium aduerſarum rationum ſolutiones: colligitur ſecundò, opinionis, & fidei acquiſitionem, nō propriè eſſe reminiſcentiam, cùm ad ſolum compoſitum pertineant, & in imaginibus extrinſecùs aduenientibus verſentur: ſolùm eatenus poteſt dici reminiſcentia, quatenus ea quoque cognitio ab inſertis rationibus habet ortum, propriè tamen ſola ſcientia meretur dici reminiſcentia. Ex his ratio colligi poteſt cur Plato pro inuenienda veritate præſertim vſus ſit Dialogis; & Socrates ad ſolutam orationem ſe minimè aptum prædicauerit, ſed ſolùm ad interrogationes accommodatum; ac demum, cur ſe obſtetricio fungi munere affirmauerit: per hæc enim omnia denotauit, veritatem in animis noſtris eſſe inſertam; & per interrogationes animam ad partum latentis veritatis eſſe excitandam; ſcientiasque non extrinſecùs induci, ſed intus exiſtentes educi. Demum patet, quòd Apollo præcipiens, TE IPSVM NOSCE; latenter præcepit, nos omnia debere noſcere: quoniam qui ſe noſcit, animam exactè cognoſcit; in qua rerum omnium veritates, vt in ſpeculo refulgent.

STE

# STEPHANI THEVPOLI, BENEDICTI F. PATRITII VENETI,

## *ACADEMICARVM Contemplationum,*

## LIBER X.

*De Humana fœlicitate diſſerendum proponitur.*

### Cap. I.

QVONIAM finis, cui inſeruire, operemque ferre debet humana contemplatio, eſt Homo; ac ob id ſolùm vigilandum, laborandumq; nobis eſt pro ſcientiarum acquiſitione; vt noſmetipſos à corporea labe purgemus, & pro facultate perficiamus; ac inſuper, quoniam hominis perfectio, & ſcopus nobis in hoc vitæ curſu propoſitus, Fœlicitas eſt: iure in fine mearum Platonicarum contemplationum, de Homine, vt de fine cui; de Fœlicitate, vt de ſcopo poſtremo, in quo ſolo cumulatè requieſcimus, mihi diſſerendũ propoſui. Natura in formando homine, de nulla alia re magis ſollicita fuiſſe viſa eſt, quàm, vt ad ſub-

limem hâc perfectionem eum redderet aptiſſimum: propterea, præter animi facultates, ei pro origine dedit admirationem; pro medio, animi habitus: pro fine, ei fœlicitatem propoſuit. Habilitas ad admirationem, eſt hominis affectio origine prima: facilitas ad capeſſendas diſciplinas, eſt proprietas origine ſecunda: facultas ad aſſequendam fœlicitatem, eſt proprietas origine poſtrema; perfectione verò, & intentione præcipua: in quo ternario numero, vniuerſa hominis perfectio poſita eſt. Et quoniam de attinentibus ad duas præcedentes proprietates, ſatis ſuperque in præcedentibus ſum loquutus; ſupereſt ſolùm, vt de animi habitibus, tanquã de proxima ad fœlicitatem diſpoſitione, loquar; ac demum immenſam humanæ fœlicitatis amplitudinem quam breuiſsimè perſtringam.

## *De Animi habitibus.*

## CAP. II.

QVemadmodum ad noſtrũ corpus ſe habet ſanitas, & pulchritudo; ita ad animam ſe habere putandum eſt virtutes in more poſitas, & ſcientiam: vt corpus per naturam præſertim formoſum eſt, & bene valet; ita anima, ex ſui natura, virtutibus, & ſcientiis eſt decorata: Demum, vt ars, & humana induſtria, conducũt ad ſanitatem recuperandam, ad illuſtrandamque formam; ita diſciplina, & ſtudium, apprimè neceſſaria ſunt

ſunt pro ſcientia è tenebris in lucem reuocanda, virtuteque comparanda: quam vt anima aſſequatur, nil extrinſecùs recipere debet, ſed ſolùm eget purgatione à corporea labe; non ſecùs ac aurum, vt fulgeat, ſolùm debet à terrena ſorde ſecerni. Hinc euenit, quòd virtus omnis purgare dicitur; & omnis anima purgata, virtutibus, & ſcientiis, tanquam ſplendore proprio, eſt honeſtata. Dicitur tamen anima habitus recipere; quoniam habitus ad duo referri poſſunt: vel ad eſſentiam animæ, eiuſque rationes; & ſic firmi, permanentes, animæque manenti coæterni ſunt; vel poſſunt referri ad hominem anima præditũ, & ad notiones, quæ per externas excitationes à ſenſibilibus factas promuntur; in qua conſideratione acquiri ſtudio, & diſciplina dicuntur: adeò, vt tunc dicamur habitu præditi, dum (repulſa nube, ſolutaque caligine: qua anima ob nexum cum corpore obducta, & circunfuſa erat) anima in ſe conuerſa, rationes, vel ideas conſpicere valet: & ita eſt affecta, vt non facilè ampliùs, vel à corporis illecebris decipiatur; vel à nubibus eius offundatur. Ex quo conſtat, pro habitus adeptione nil denuo in anima recipi, ſed ſolùm aliena repelli. Et quemadmodum ſupra craſſam ignorantiam conſiderabantur tres cognitionis gradus; vnus opinionis rerum fluxilium; alter animaduerſionis, quòd ea non ſit ſcientia; poſtremus adeptionis veræ intelligentiæ, & ſcientiæ: ita quòd

que in habitibus animæ hi tres gradus inueniuntur. Nam conſideratur primò habitus opinionis, qui expoſcit conſeruationem phantaſmatum rerum ſenſibilium in memoria: cõſideratur ſecundò habitus, & conſtantia in eo iudicio; quòd ſenſibilia non ſint res veræ, ſed vmbræ; qui eſt habitus, ſupra phantaſiam eleuatus: demum cõſideratur habitus ſupremus in reditu animæ in ſe, & cõtactu idearum; qui phantaſmatum ope minimè eget, niſi pro origine conuerſionis animæ in ſeipſam. Ex qua explicatione primò colligimus, quomodo anima per ſcientiam fiat omnia: nam ea, vt nobis iuncta; primò eſt penitus in potentia, & nihil actu; mox fit omnia per rationes omnium ſibi inſertas; adeò, vt ea, ex ſe, ſemper ſit omnia; vt nobis iuncta, modò ſit poteſtate, modò actu, modò nihil, modò omnia; abſque eo, quòd aliquid extrinſecùs in ſe recipiat. Patet inſuper, quid verè ſit intellectus agens, & poſsibilis: nã duplex in nobis conſideratur intellectus agens, duplexque poſsibilis; quatenus duplex poteſt fieri comparatio: vna inter animam in ſe manentem, & à ſe recedentem, ſiue progredientem; in qua comparatione anima progrediens, nuncupatur intellectus poſsibilis; in ſe manens, dicitur agens. altera comparatio fit inter animam, & mentem, quatenus anima à mente perficitur; in qua comparatione anima eſt intellectus poſsibilis, mens verò agens. Quæ omnia longè ſecùs per principia, & fundamen-

damen-

damenta Peripatetica explicanda ſunt, vt ſatis conſtat.

*An anima iuncta corpori, valeat per Ideas intelligere.*

CAP. III.

Valet proculdubio homo, per rationes animæ inſertas, de rebus rectam habere opinionem; & ideo opinio ita dicitur eſſe hominis propria, vt intelligentia Deorum. At, num valeat anima corpori iuncta, ad ideas eleuari, & per eas intelligere; non leuis eſt dubitatio. Non enim apparet; quomodo anima adeò depreſſa, adeò terrena mole grauata, valeat ad ſupernā idearum lucem extolli, cum eiſque coniungi. Inſuper non apparet; quomodo iuncta corpori, ſine virtute imaginādi intelligere valeat. Vulgata eſt Peripateticorum ſententia, oportere intelligentem phantaſmata ſpeculari: in nexu autem animæ cum mente, & ideis, anima imaginationis ope non amplius vtitur: non itaq; apparet, animam iunctam corpori per ideas poſſe intelligere. Attamen ſi ad Platonis verba, & ſententias conuertimur; aſſerendum eſt, hominem poſſe quidem, ſed cum difficultate; & rarò per ideas intelligere. Hoc affirmauit Plato in Timæo inquiens; Veræ opinionis virum quemlibet eſſe participem; intelligentiæ verò, Deos quidem omnes, homines verò paucos, &c. at intelligētia ea eſt, quæ ad ideas an-

cientes; iure nos ad ideas eleuant, & cum eis animam nectunt. Propterea non iniuria Plato in Phædro alas animi augeri aſſeruit illis omnibus, quæ ad ſuperna nos eleuant; vt Pulchritudine, Sapientia, & ſimilibus: & conueniente metaphora in eodem dialogo conſiderauit currum vitarum animæ, Aurigam eius, equos ducentes, calcaria; & demum cuncta conferentia ad animæ eleuationem, eiusque nexum cum mente, & ideis. Simplicius in tertium de anima rectè dixit, animam nonnunquam viuere vitam ſeparatam, quamuis ſit iuncta corpori: quod verum eſt ex ſententia Platonis, at ex ſententia Ariſtot. nequaquam: nunquam enim anima, iuxta Ariſtotelem, ſine imaginatione operatur; verùm ſemper habet imaginationem antecedentem: at ex ſententia Platonis secùs ſe habet. Ratio diuerſitatis eſt; quoniam, ex ſententia Ariſtotelis, noſtra ſcientia penitus pẽdet ex phantaſmatibus: ex opinione verò Platonis, phantaſmata ſolùm excitant; at propriè ſumpta intelligibilia, ſeruantur in ſubſtantia animæ, & mentis. Hinc pendet, quòd Plato, & Ariſtoteles, in alio diſſentire coguntur; ſi ſeruare volunt initia, & fundamenta ſua: Nam ex ſententia Ariſt. intellectus non ſeruat; ſed deſinente actu intelligendi, ſolùm ſeruantur phantaſmata ad imaginationem pertinentia: At ex opinione Platonis; in virtute imaginandi, ſeruantur phantaſmata; in anima rationali, rationes; in men-

te ideæ per quas mens ſine anime, & anima ſine virtute imaginandi, intelligere valent.

*De Hominis fœlicitate.* CAP. IV.

HOmo, qui inter animalia ſolus mũdi ciuis nuncupari meretur; cùm ſolus ſit rationis, & mentis particeps, natus præeſſe aliis; quoniam à cœio deſcendit in terras, etiam à terris debet cenſeri aptus eleuari in cœlum: facilis eſt quidem ei deſcenſus, aſcenſus verò difficilis; non ita tamen, vt ſtudio, & ſollicitudine difficultatem ſuperare non valeat: in quo aſcenſu putandum eſt, eſſe poſitum ſummum bonum eius. Id ipſum ex eo patet; quoniam conſpicimus omnes homines interna quadam animi commotione fœlicitatem expetere, & quærere: ne autem illa naturalis propenſio ſit inanis, putádum eſt paratam eis eſſe fœlicitatem; in qua, tanquam in poſtremo fine requieſcát. Et præſertim; quia ſi ſecùs eſſet, noſter appetitus inaniter in infinitum progrederetur, nec finê vllũ adinuenire poſſet. Præterea, id ipſum confirmatur; quia anima rationalis, affinitatis nexu, cum diuinis eſt iuncta; ideo diuinarum conditionum debet eſſe particeps: conditio autem, ac veluti affectio diuinorum, fœlicitas eſt. Fateamur itaque natum eſſe hominem aſſequi fœlicitatem: de qua variæ Philoſophorũ fuêre opiniones. Nam quicunque hanc ſolam mortalem nouere vitam, & ad futuræ notitiã eleuari non potuerũt; in hac ſola homini conuenire

uenire fœlicitatem exiſtimarunt: è quorum numero fuerũt Peripatetici; qui, vt in futuræ vitæ cognitione, ita in fœlicitatis explicatione ſummopere ſunt hallucinati. Quicunque verò futuram nouere vitam, vt noſtri Theologi, & cum eis Plato; rectè aſſeruerunt, vitam hanc eſſe, veluti viam ad aliam; & in hac vita, vel nobis fœlicitatem non conuenire, vel conuenire valde tenuem, & paucis; adeò, vt potiùs diſpoſitio ad fœlicitatem, quàm vera fœlicitas, homini ſub orbe lunæ collocato conueniat; adeò, vt, ratione quoq; huius, homo iudicari debeat ludus Deorum. Vt autem hæc veritas clarior appareat; quid ſit fœlicitas, perpẽdamus. Aſſerere, quòd ſummum hominis bonum, eiusque fœlicitas ſit virtus, vt aiunt Stoici, falſum eſt. Nam virtus eſt purificatio animi; & propterea eſt diſpoſitio ad fœlicitatem, non fœlicitas. Pariter non videtur eſſe dicendum cum Ariſtotele, quòd fœlicitas ſit actio virtuti conſentanea; quoniam actio eſt accidẽs, quod non valet eſſe poſtrema perfectio ſubſtantiæ: inſuper, omnis actio eſt gratia boni, reſpicit finem, perducitque ad aliud; ideo non ea finis eſt, ſed potiùs medium, per quod finem attingimus. Propterea putandum eſt, fœlicitatem eſſe poſitam in ſummi boni fruitione, poſtremi finis conſecutione, nexuque cum eo; & iure quidem: nam fœlicitas, & ſummum bonũ, in idem veniunt; ſummum bonum eſt auctor, & finis omnium; in eius itaque fruitio-

ne fœlicitatem eſſe poſitam, cenſendum eſt. Confirmatur; quoniam ab eo ſolo poteſt abſolutè pendere bene eſſe, à quo pendet eſſe: homo eſſe habet ab vniuerſi opifice; ab eo itaque ſolo debet ſperare bene eſſe. Colligamus itaque fœlicitatem non eſſe virtutem, non cumulum humanorum bonorum, non vitam naturæ conſentaneam, non actionem probam; ſed nexum cum primo principio, fruitionem eius, & conformationem humani animi cum eo, vt ei licet.

*Qua via ad ſummum bonum eleuemur.*

## CAP. V.

VIlgata ſatis eſt ſententia, eoſdem eſſe gradus aſcenſus, & deſcenſus; & ſola ratione differre: cùm itaque patuerit, per quos gradus anima à mundi opifice deſcẽdat; etiá patere poteſt, per quos aſcẽdere valeat: deſcẽdit anima poſt mentẽ, & ideas non participatas, ac participatas, recedẽdo à ſe, ac ad vitas poſtremas declinádo; ideò, vt aſcendat, debet ad ſe redire; & per rationes, ideas, & mentes medias, cũ ipſo vno, ipſoque bono coniungi. Finis poſtremus huius diuinæ conuerſionis, & reditus, vnus eſt: ea verò, quę ad hanc conuerſionẽ nos excitát, ac ad finẽ perducunt; non vnú, ſed tria eſſe poſſunt; vt ex Phædro, & Phędone colligitur: Nam Amor, Muſica, & Philoſophia, id efficere valẽt; & ꝓpterea Mercurius, Venus, & Phębus noſtro aſcen-

aſcenſui præeſſe dicũtur: Mercurius enim per rationes, Venus per amorẽ, Phæbus per Muſicam eleuat animos ad ſublimia. Iure etiam his tribus tribuitur munus cõuerſionis; quoniam nos, vel per viſum, vel per auditum, vel p rationẽ ad diuina excitamur, & inuitamur; viſui, amor; auditui, muſica; rationi, philoſophia reſpondet. Inſuper, tria ſunt; quæ primò in intelligibili, mox in ſenſibili mundo refulgent: pulchritudo, quæ eſt ipſius boni ſplendor: ratio, ſiue proportio, cùm rationum animæ, tum idearum inter ſe; in quibus eſſentiales numeri vigent, vt in earum explicatione declaratum fuit: demum eſſentia, & conditio rationum, & idearum: pulchritudo amorem parit; proportio excitat muſicæ dilectionem; rationes, & ideæ, philoſophiam formant. Ex his tribus conuerſionis igniculis, philoſophica eſt præcipua; & eſt talis, vt ſine ea reliquæ conſiſtere nequeant; ac ſuo fundamẽto, & radicibus ſint deſtitutæ. His conuerſionis, ac eleuationis occaſionibus valemus, & bene, & malè vti: quibus ſi malè vtimur, præcipites reddimur; ſi bene, in ipſum bonum eleuamur, in quo fœliciſsimè requieſcimus. Vt bene his vtamur, vt incolumes à mundi fluctibus euadamꝰ, vt firmiùs, & tutiùs ad ſupera eleuemur; duos conſiliarios, duos duces, duas alas nobis parare debemus; Appetitionem boni, Deſiderium veri: Appetitioni boni, reſpondet Prudentia; Deſiderio veri, reſpondet Sapientia.

His purgati,& muniti,cum receſſu à corporeis eleuamur ad ſupera, & incorporea: ad quam eleuationem parant nos virtutes morales; ſapientia verò proximè iungit, quatenus ſapientia eſt nexus rationum animę cum ideis, mentis, idearumque contemplatio: & quoniam ideæ pro parente agnoſcunt ipſum vnum, ipſumque bonum; ideò anima, dum iungitur cum ideis, cum ipſo vno, ipſoq; bono mirabili nexu complicatur: Et quoniam hæc omnia, vel non conueniunt animæ cum mortali corpore iunctæ, vel vix, & obſcurè valde conueniũt; ideo iure in Epinomide dixit Plato, paucos in hac vita, & eos obſcurè valde, poſſe dici beatos. Et hoc fortaſſe voluit denotare Solon, dum aſſeruit, neminem ante mortem poſſe dici beatum; quamuis Ariſt. in primo de moribus, longè ſecùs eius ſententiam explicauerit. Ex his patet, in multis Ariſtotelem ita à Platone diſſentire, vt nullus cõcilio derelinquatur locus. Ariſtoteles ait fœlicitatem eſſe actionẽ probam; Plato hanc probam actionem iudicat eſſe, vel viam, vel medium ad fœlicitatem: Ariſtoteles duas homini tribuit fœlicitates, vnam ciuilem, alteram contemplatiuam; Plato has eſſe cenſet vias duas miro nexu coniũctas ad fœlicitatem vnam: Ariſtoteles in hac ſola vita homini tribuit fœlicitatem, nunquam in alia; Plato è contra, in hac vmbram, in altera veram homini nouit fœlicitatem conuenire: Ariſtoteles itaq; pro termino viam, pro eſſentia vm-

tia vmbram coluit: Plato verò ad terminum, & eſſentiam, mentis aciem direxit.

*Nonnulla ad fœlicitatem pertinentia.*

## Cap. VI.

Homo, qui fęlicitatis, & miſerię eſt capax, & in eius manibus eſt poſitum ad vtramlibet progredi; iure in biuio collocatus eſſe dicitur: & in ęo boni Dæmonis virtus, ingenij conuenie ns diſpoſitio, humanæ ſortis ſplendor refulget: dum, derelicta via obliqua, rectam eligit; neglectis tenebris, properat ad lucem; ſpretis vmbris, eſſentiam quærit, & magnifacit. Et quoniam fœlicitas ſumpta pro ſcopo, & eius eſſentia, eſt ipſum bonum; ſumpta pro eo, ꝙ proximè nos nectit cum ſcopo, eſt ſapientia, & amor: iure, vt ad nos pertinet, & in ordine ad ea, quæ in nobis fœlicitatem formant; primas partes Plato in Philebo ſapientiæ tribuit. Et quoniam ſapientia eſt eleuatio ad ideas, & contactus earum; in quo cōtactū anima per mentem formatur, & ratio per ideas perficitur, & cum primo principio nectitur: iure fœlicitas dicitur ſimilitudo animæ cum Deo; nam in eo nexu ꝑ diuina formatur, vitamq; diuinā haurit, & recipit; ideò, vt iure Deo ſimillima dicatur, Inſuper, quia Mēs ſupra cęlum eſt poſita, cùm ſit ab omni corpore ſoluta; Anima verò cum motu, & corpore complicata: ideò iure dicitur in Phædro, pertinētia ad mentē, ſupra cœlum eſſe collocata, & in loco ſupercœleſti:

animas verò, q̄ in cœlum eleuantur, vnà cum cœlo circunuolui; & ſolùm aurigæ caput, hoc eſt, mentem ſupra cœlum extolli. Ex nexu animæ cum primo principio, incomparabile conſurgit gaudium; & iure quidem: nam ille nexus, eſt reditus animę in diſpoſitionem ſibi per naturam, & electionem ſummopere congruentem; reditus autem in ſuam naturam, optatiq́; finis fruitio, gaudium ſaluberrimum parit. Et quoniam obiectum eſt immenſum, & voluntas nil aliud quærebat, nec ad aliud tendebat, niſi ad illud; iure gaudium quoque eſt immēſum, cum nullo dolore permixtum, vniuerſam expetitionem cumulatiſsimè explens. Et quoniam gaudium pendet ex obiecti adeptione, nobis per ſapientiam conueniēte; ideò iure Plato in Philebo, ſecundas partes pro fœlicitatis conſtitutione tribuit gaudio. Ex his varia cognitu vtilia colligere valemus. Primum eſt, fœlicitatem nedum attinere ad facultatem animæ cognoſcentem, verùm etiá ad appetentem: nam ſapientia, ad facultatem intelligentem; gaudium, quo inde perfundimur, ad voluntatem pertinet: & id profectò iurè cōtingit; vt omnis animę facultas perficiatur, optimaque diſpoſitione fruatur. Colligimus ſecundò, fœlicitatem eminentiori modo conuenire intellectui, quàm voluntati: quia fęlicitas magis in eo nexu poſita eſt, qui nobis conuenit per ſapientiam, quàm in gaudio inde conſurgente; gaudium enim eſt affectio, &

comes

comes fœlicitatis,non autem præcipua eſſentia eius. Propterea cum Scoto non ſentio, qui ad voluntatem potiùs, quàm ad intellectum cenſuit pertinere fœlicitatem: Et Marſilius Ficinus, dum in ſuis epiſtolis oppoſitum aſſerit, & confirmat; manifeſtiſsimè aduerſatur Platoni in Philebo,quem tamen pro facultate ſectari nititur. Demum colligimus; quidnam ſit ambroſia,& nectar; quibus refici,& ſaturari animæ equos,aſſentitur in Phædro.Nam in animæ noſtræ eleuatione; primò cõſideratur nutritio,& accretio alarum animæ; hoc eſt,virium, & appetitionum eius: quæ nutritio, & accretio dicitur fieri pulchro, ſapientia, & bono; quoniam animę vires non vehementer ad ſuperna conſpirant; niſi,munere ſapiẽtiæ,bonum & pulchrũ aliqua in parte nouerint. Poſt alarum accretionem,quæ in animæ deſcenſu deciderant; ſequitur eleuatio, adeptio, contactusque obiecti,& eminens quędam ab ipſo animæ noſtræ formatio; & hoc dicitur conuiuium animarum, quæ ſupra cœlum eleuãtur: in quo conuiuio animæ,quæ ſaturantur, ampliùs non eſuriunt.Poſtremò equis,hoc eſt,facultatibus appetentibus, ambroſia, & nectar offertur: & primò Ambroſia,quaſi cibus; qui eſt expletio appetitionis, per nexum animæ cum primo omnium principio; mox nectar, hoc eſt,gaudium inde conſurgẽs; qui eſt,quaſi potus cibum contemperans,& dulcedine animam perfundens: qui cibus, & potus dici-

tur tribui equis, hoc eſt, facultatibus appetentibus; quoniam nutritio, & expletio ad facultatem appetentem propriè pertinent, vt etiã gaudium inde conſurgens. Hæc primò, & propriè Diis conueniunt; qui ſupra cęlum ad cõuiuium, & dapes tendere dicũtur: in propria tamen conditione, & gradu etiam conueniũt animis hominum; quamuis nõ ita, vt Dij, eleuentur ſublimes. His metaphoris Plato eleganter, & doctè cuncta explicauit ad fœlicitatem, & ad gaudium eius comitem pertinẽtia; ita ſublimia ingenia docuit; vulgaria verò demulſit, & oblectauit. Verùm cùm poſt varios decurſus, cùm poſt deſcenſum à primo rerum principio vſque ad poſtremam materiam, iam in principium primum reuerſi ſimus; in eoq; fęlicitatem, ſummum gaudium, finemque noſtrum inuenerimus: conueniens eſſe duxi, vt Deo gratias agentes, in eo optimo fine, noſtrorum laborum finem ſtatuamus; & non ſine gaudio, in eo immenſo gaudio requieſcamus.

*Peroratio operis.*

## Cap. VII.

LAtiſsimi ſunt campi Platonicæ contemplationis, & à viris diuino potiùs, quàm humano ingenio prędit is accuratè culti. Hos ego, qua potui, breuitate percurri; ſumma potiùs tangens faſtigia rerum, quàm exactè cuncta perquirens: Verſa-

Verſatus ſum præſertim in attinentibus ad contemplationem. Ciuilia verò, in quibus Academici ſummoperè refulſerunt; ob temporis anguſtiam, & quoniam eminenter in ſapientia, & contemplatione contineri iudicaui, ſilentij velo obuolui: ſpero tamen, ſi Dij mihi ocium, vireſque ſuppeditabunt; in alia huius operis editione, & hæc limatiùs, & reliqua cumulatiùs me explicaturum. Interim ex his ſatis conſtare cenſeo, inaniter eos laborare; & oppoſita, Heracliti more, in idem tentare redigere; qui Ariſtoteſem manifeſtiſsimè à Platone diſſentientem, nituntur cum Platone conciliare. Ac inſuper conſtare cenſeo, Platonis ſententias non adeò eſſe paruipendendas, nec tam leuiter reiiciendas; vt frequenter id fieri conſpicimus, vel ab Ariſtotele, vel à ſectatoribus eius. Ab Ariſtotele primò, qui ſæpe ſæpiùs potiùs verba Platonis, quàm ſententiam damnat; & ſi ſententiam arguit, id efficit rationibus ſatis leuibus, facileque ſolubilibus. A ſectatoribus verò Ariſtotelis negligitur Plato: vel quia nimiùm in verbis Ariſtotelis iurarunt, eique vni, tanquam ſaxo, ſint affixi; adeò, vt eis præcluſum ſit iter liberè philoſophandi: vel quia in fertiliſsimis Academicorum campis minimè verſati, eos fructus reſpuunt, quos non deguſtarunt; ac eorum iudiciũ ferre audent, q̃ minimè nouerũt. Quod viri iudicio, ſapiẽtiaq; inſignes, nequaq̃ fecere; vt Diu⁹ Auguſtinus, Magn⁹ Dionyſius

Areopagita, admirabilis Galenus; Cardinalis Beſſarion, Ioannes Picus, & alij quamplurimi; qui Platonem ſummopere commendarunt, vehementerque ſunt admirati. Immò Theophraſtus, qui nedum diſciplinæ, verum etiam affinitatis nexu, cum Ariſtotele iunctus erat; defuncto Ariſtotele, in Academiam inclinauit; & Academicorum placitis, veluti illuſtribus ornamentis, ſuos libros ſplendidiſſimè decorauit. Patere demum cenſeo, quàm magnificè ſententiarum varietate, & ſplendore animum noſtrum exornent; quàm facilè ad ſublimia nos eleuent, quàm pios erga Deũ nos reddant; quàm in multis conueniant Platonicæ contemplationes, cum decretis Sanctorum Patrum Chriſtianæ religionis, cumq; reuelationibus Prophetarum. Quòd ſi Platonis verba non in omnibus Chriſtianam redolent veritatem, mirum non eſt; quia homo non æquatur Deo: Mirum hoc potiùs cenſeri debet, quòd homo his tenebris circunfuſus, ſuo ingenio tot veritati conſentanea attingere valuerit. Propterea, ſi quid à me in his libris dictum inuenietur, quod cum decretis Chriſtianæ religionis non conueniat; ſciant omnes me id protuliſſe, non quia ita ſentiam, ſed vt Platonis ſententiam patefaciam: mihi enim exploratiſsimum eſt pertinentia ad Diuinam Trinitatem, ad Diuinationem, ad Mundi creationem, ad immortalitatem animæ, ad Naturam & conditionem hominis;

adque

àdque alia huius generis, minimè fuiſſe nota Philoſophis; ſed cognitionem eorum nos ex ſacris fontibus debere haurire: quorum decreta in me adeò ſunt firma, adeò certa, & exploratas vt pro eorum ſeruanda veritate, etiam vitam expirare paratus ſim.

FINIS

*Libri Decimi & Vltimi.*

Bb

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# INDEX CAPITVM OMNIVM QVAE IN DECEM HISCE LIBRIS continentur.

Capita Primi libri.


PRoœmium operis. Cap. II. pag. 1
De modo cognoſcendi Deum. Cap. 2. pag. 15
De ipſo Vno. Cap. 3. 18
De ipſo Bono. Cap. 4. 22
Defenditur Plato à calumniis Peripateticorum de Idea boni. Cap. 5. 27
De ipſo Pulchro. Cap. 6. 31
De nonnullis, quæ Deo tribuuntur. Cap. 7. 35
Vbi ſit Deus. Cap. 8. pag. 38
De prouidentia. Cap. 9. 40
An Mundus ab æterno emanauerit à Deo, opiniones aliorum. Cap. 10. 44
Alia opinio de Mundi Dependẽtia à Deo. Ca. 11. 48
Sentẽtia Auctoris propria, & diſſolutio difficultatis. Cap. 12. 52


Capita Secundi libri.


DE Mente, an re diſtinguatur à Deo. Cap. 1. pag. 56
Quid ſit Mens. Cap. 2. 59
De principiis, & generibus rerum. Cap. 3. 60
Quomodo in Mẽte ſint principia rerum. Cap. 4. 63
Quomodo in prima Mente ſint quinq; genera rerũ. Cap. 5. 65
Conditiones nonnullæ primæ Mentis. Cap. 6. 67
Aliæ primi Entis conditiones. Cap. 7. 68
De numero mentiũ. C. 8. 71
De Aeternitate, & Aeuo. Cap. 9. 73
Ariſtotelis ſentẽtia, eiuſque cum Platonica collatio. Cap. 10. 76
De Gradib. Entis. C. 11. 78


Capita Tertij libri.


AN Ideæ ſint. Cap. 1. pag. 81
Inuentores Ideãrũ. Ca. 2. 83
Quid ſint Ideæ. Cap. 3. 85
Cui conueniãt Ideæ. C. 4. 89
Quomodo in Mente ſe habeant, & conſurgant Ideæ. Cap. 5. 91
Conuenientia, & differentia Idearum. Cap. 6. 94
Quorũ nõ ſint Ideæ C. 7. 96
Vtrum Mathematicarũ formarum

marū dentur Ideæ. Ca 8. pag. 100
Quorū ſint Ideæ. C. 9. 104
Quos vſus præbeant Ideæ. Cap.10. 108
An Ariſt.in diſputatione de Ideis,cum Platone debeat conciliari.Cap.11. 111

Capita Quarti libri.

Quid ſit Anima, ex aliorum opinione. Cap 1. pag 116
Quid ſit Anima, opinio Platonis. Cap.2. 118
Qualis numerus conueniat animæ. Cap 3. 121
Quomodo Anima dicatur mouere ſeipſam,& eſſe initium motus.Ca.4. 125
Quæ à Peripateticis obiiciuntur Platoni, & an debeant conciliari. Ca. 5. pag. 127
De Animæ generatione. Cap.6. 132
De Animæ compoſitione. Cap.7. 135
Quòd Anima ſit mediæ cuiuſdam naturæ, & conditionis. Cap.8. 136
An omnis Anima ſit immortalis.Cap.9. 139
Solutio difficultatū. Cap 10. pag. 144
De Vehiculis Animarum. Cap.11. 148
De Anima deſcenſu. Ca.12. pag. 154
Quomodo anima ſit in corpore: & de ſede eius. Cap.13 157
Comparatio inter Ariſtotelis, & Platonis opinionē. Cap.14. 163

Capita Quinti libri.

Mundum eſſe animatum. Cap.1. 166
An mundi anima diſtinguatur à Deo.Cap.2. 168
Qualis ſit anima Mundi. Cap. 3. 170
De Fato.Cap.4. 173
An Plato, & Ariſtoteles de Fato conueniāt,& an omnia Fato fiant. C.p. 5. 175
An quæ fiunt Fato,fiant neceſſariò.Cap.6. 179
De Parcis.Cap.7. 183
De Animis Sphærarum. Cap.8. 186
De Pythagoreo Cœli Sono, & Animis Elementorū. Cap.9. 189

Capita Sexti libri.

De multiplici nominis Dæmonum ſignificatione.Cap 1. 194
An dentur Dæmones, ſententia Ariſt. Cap 2. 198
An dentur Dæmones, ſen-

tentia Plat. Cap. 3. 202
Quid ſit Dæmon. Ca. 4. 204
Gradus Dæmonũ. C. 5. 208
De nonnullis affectionibus ad Dæmones pertinentibus. Cap. 6. 213
Munera Dæmonũ. C. 7. 218
An dentur Dæmones mali. Cap. 8. 220
De Syluanis, Faunis, & ſimilibus. Cap. 9. 223
De nutritione Dæmonum. Cap. 10. 225
Quomodo vel in ſtatuas, vel in homines trahantur Dæmones Cap. 11. 227

Capita Septimi libri.

INtentio & Ordo explicatur. Cap. 1. 230
De Natura. Cap. 2. 233
Opinionis Platonicæ de Natura, clarior explicatio Cap. 3. 236
Diuiſio Naturæ in vniuerſalem & propriam. C. 4. pag. 239
De Mundo corporeo Cap. 5. pag 242
Quomodo Mũdus ſit vnus. Cap 6. 244
De principiis proximis corporei Mundi. Cap. 7. 248
De Materia, & Priuatione. Cap 8. 252
Quomodo Materia cognoſcatur. Cap. 9. 257
An Materia ſit genita, & Mundi generationem antecedat. Cap. 10. 260
Conditiones nonnullæ Materiæ Cap. 11. 263
An Materia bona, vel mala cenſeri debeat. Cap. 12. pag. 266
Quomodo Numeri, & Figuræ ſint initia rerum. Cap. 13. 268

Capita Octaui libri.

DE primis corporibus. Cap. 1. pag. 273
An cœlum ſit eſſentia quinta, penitus diſtincta à natura quatuor elementorum. Cap. 2. 277
Solutio dubitationum. Ca. 3. pag. 281
An Plato de quinta cœli eſſentia debeat cum Ariſt. conciliari. Cap. 4. 285
De cœli compoſitione. C. 5. pag. 290
De gradibus animalium ſimplicibus corporibus reſpondentium. Cap. 6. 293
De Motu cœli. Cap. 7. 295
An cœli Motus ſit naturalis. Cap. 8. 300
An Terra moueatur in orbem. Cap 9. 304
De cauſa requietis Terræ in medio. Cap 10 308
De Grauitate, & Leuitate. Cap 11. 310
Comparatio opinionis Ariſtotelis

Aristotelis cum ſententia Platonis in nuper dictis. Cap.12. 312
De differentiis poſitionis Mundi. C.13. 315
In quibus Plato ab Ariſt. reprehendatur. Cap.14. pag. 317

Capita Noni libri.

De Mixtis inanimis. Cap.1. 321
De Plantis. Cap.2. 323
De Animalibus ratione carentibus. Cap.3. 327
De Homine, an ſit ſola anima vel aggregatũ ex anima, & corpore, opiniones variæ. Cap.4. 330
Solutio difficultatis. Cap.5. pag. 332
Hominem eſſe monſtrum, & ludum Deorum. C.6. pag. 336
De præcipua Hominis proprietate. Cap.7. 341
De gradibus in acquirenda Scientia. Cap.8. 342
Alia graduum cognitionis explicatio. Cap.9. 347
Quæ mereantur nuncupari Scientiæ. Cap.10. 350
Quomodo in nobis de Rebus fiat iudicium. C.11. pag. 353
Quomodo in nobis producatur Scientia. C.12. 357
An Scire ſit reminiſci. C.13 pag. 360
Quæ à Peripateticis obijciuntur Platoni. Cap.14. pag. 362

Capita Decimi libri.

De humana fœlicitate differendum proponitur. Cap 1. 367
De Animi habitibus. Cap.2. pag. 368
An Anima iuncta corpori, valeat per Ideas intelligere. Cap.3. 371
De Hominis Fœlicitate. C.4. pag. 374
Qua via ad ſummum bonũ eleuemur. Cap.5. 376
Nonnulla ad Fœlicitatem pertinentia. Cap.6. 379
Peroratio Operis. Cap. 7. pag. 382

FINIS.

388

IS.

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO - ROMA -
1921